EXPOSITIONEM VETERIS INSCRIPTIONIS

DE

AESCVLAPIO ET HYGEA

DIIS ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙΣ

AD ILLVSTR. EPIST. AD TIT. CAP. III u. IIII

MODERANTE

CHRISTIANO GOTL. SCHVVARZIO
COM. PAL. CAES. ET PROF. PVBL.

D. XXVII OCTOBR. A. cIɔIɔccXXV

PLACIDAE DISQVSITIONI

SVBMITTIT

FERDINANDVS IACOBVS BAIERVS ALTORF.
PHILOS. ET MEDIC. CVLTOR.



ALTORFII NORIC.

RECVSA IMPENSIS STEPHANI GREBNERI

CIƆIƆCCXXXXII.

314965

BIBLIOTHECA
OELRICHSIANA

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Q. D. B. V.

I.

Proponitur inſcriptio Graeca.

Exhibemus ueterem inſcriptionem, eamque Graecam; quam refert monimentum e ruinis Vlpiae Traianae effoſſum, inque Curia uici S. Mariae, *diſtrictus Azakienſis*, in Tranſiluania aſſeruatum; quod in Tabulis aeneis *Marſigliani operis Danubialis* delineatum reperitur. Quamquam uero illud ipſum eximium opus, magno rei literariae bono, proxime euulgatum iri ſperemus; nobis tamen interea uiſum eſt, exercitii Academici cauſſa, in hoc epigrammate interpretando uires periclitari; cum ad explicandam *mythologiae* particulam faciat, et ſimul ad inſignem diuiniorum literarum locum quodammodo illuſtrandum non nihil conferre uideatur. Eam autem ipſam inſcriptionem hunc in modum legendam cenſemus:

ΑCΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ	i. e. *Aeſculapio et*
ΥΓΕΙΑ ΘΕΟΙC	*Hygeae, Diis*
ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙC	*hominum amantiſſimis,*
ΑΞΙΟC ΑΙΛΙΑΝΟC	*Axius Aelianus*
Ο ΝΕΩΤΕΡΟC ΕΤ	*Iunior do-*
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ	*narium* [conſecrauit.]
(ΙΟΝΙΟC)	*Ionius.* (forte nomen Artificis)

II.

Ratio legendae huius inſcriptionis redditur, et quidem de primo uerſu.

Videmus in delineato hoc monimento non nullas uoces, literasque, uel temporum iniuria, uel oſcitantia atque imperitia lapidarii, corruptas, uel certe inquinate deſcriptas: quas uero cur propoſito modo emendandas duxerimus, facile poteſt intelligi. In primo uerſu primum hoc nomen nobis occurrit:

λCIΛHIIICIↃ', pro ΛCKΛHΠIΩ. Cuius uocis prima figura λ deſignat literam Α; quae et alibi iſto fere modo, etiam in Latinis monimentis, exprimitur, u. g. in Reineſii *Syntagm. Claſſ. XVIII*, *n.* 14:

D. M.
λ. CORNELIVS. λPRILIS
CORNELIAE. NYMPHλE.

Alias eiusdem literae formas, Graecis uſitatas, exhibet uir eruditiſſimus, Bern. Montfauconius, in *Palaeographia Graeca*; quas, non eſt, cur iam repetamus; cum in Marſigliano Epigrammate potius ordinaria figura τȣ Α, quae ibidem in ceteris uocibus ſemper uſitato more exſcribitur, uel ex detrito lapide quodammodo corrupta, uel a deſcriptore deprauata, eſſe uideatur. Sic et ex tertia litera Κ in eodem nomine duo ramuſculi exeuntes exciderunt, ut nunc ſola erecta linea Ι ſit relicta. Adhaec ibidem ſexta litera Π ſuperiorem amiſit lineam. Porro, altera etiam uox eiusdem primi uerſus prorſus nunc corrupta conſpicitur; neque enim ibi ſupereſt, niſi haec figura λ, forte tanquam nota τȣ Α; cum e *contextu* intelligamus, ibi particulam ΚΑΙ locum habuiſſe; quae particula quamuis aliquando etiam per compendium in antiquis monimentis exprimatur, u. g. in *inſcriptione Ancyrana*, apud Montfauconium, p. 159, per ꝃ; facile tamen credimus, in noſtro monimento literas Κ et Ι temporis iniuria periiſſe.

III.

De altero uerſu.

Sequitur alter uerſus, qui primo loco refert nomen ΥΓΕΙΑ. Sed in Tabula aere exſcripta, pro Υ uidemus Ι poſitum; incertum, an de induſtria lapidarii, an per errorem deſcriptoris, qui fortaſſe ueſtigia τȣ Υ, uetuſtate obſcurata, minus recte aſſecutus ſit. Equidem ex ſono promiſcuo, aut etiam medio, ut de literis Ι et Υ Fabius ait, *Libr. I Inſtit. c.* 7, nata eſt non infrequens illa ſcripturae uarietas et permutatio, quam non ſcripti ſolum Codices, ſed numi etiam ac lapides uetuſti, arguunt.

Vnde,

Vnde, docente Spanhemio, *de uſu et praeſt. numiſm. T. I, p.* 120, ΣΙΡΑ, pro ΣΥΡΑ, ſeu ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, uideas aliquoties apud *Parutam*, in *Sicil. p.* 24 *et* 34; et ΒΗΡΙΤΙΩΝ, pro ΒΗΡΥΤΙΩΝ, in *Begeri Theſauro Brandenb. Vol. I, p.* 512. Tacemus nunc, eundem ſcribendi morem etiam librariis maxime ſaeculo nono familiarem obſeruari a Montfauconio, in *Palaeograph. Gr. p.* 236. *et* 242: ut adeo, ſecundum Spanhemium, illa permutatio non continuo monetariorum, uel lapidariorum, incuriae ſit adſcribenda. Verum in altera litera uocis ΙΙΕΙΑ manifeſtus error, uel corruptela, apparet, cum altera figura Ι ſine dubio lineolam ſuperne prodeuntem amiſerit, quam adeo Γ exſcribi debuiſſe nihil ambigimus. At ſecunda in hoc uerſu uox ΘΕΌΙC utique plene recteque expreſſa legitur.

IIII.

De uerſu tertio.

Tertius huius epigrammatis uerſiculus exhibet has literas ΙΑΑΝΟΡCΙϽΠΟΙΟ; quarum ueram lectionem, ut indagaremus, non parum ſoliciti fuimus. Verum nunc prorſus perſuaſi ſumus, ibi latere uocem ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙC: quae quomodo adeo corrupta deprehendatur, paucis oſtendemus. Primum nempe nihil facilius fieri potuit, quam ut prima iſtius uocis litera Φ uetuſtate et uſu detrita obliteraretur. Cuius rei multa exempla a collectoribus et interpretibus ueterum monimentorum obſeruantur. Sic apud Reineſium, *Claſſ. I, n.* 147, legitur ΠΙΜΕΛΙΘΕΝΤΩΝ, pro ΕΠΙΜΕΛΙΘΕΝΤΩΝ, cum ab initio uerſus litera Ε exciderit. Praetermittimus plura alia huius generis teſtimonia. Praeterea, in eodem tertio uerſu, quincta litera Ο uitioſe exſcripta eſt pro Θ, perdito intermedio puncto, uel lineola; haud ſecus, ac Ο pro Θ legitur apud Gruterum, *DXLVII*, 9. Aſt et ultima huius uerſus litera Ο inquinate ſignata eſt pro C. Fieri tamen facile potuit, ut et ipſe lapidarius Graecas literas ſibi praeſcriptas non accurate expreſſerit.

V. Pro-

V.

De uerſu quarto, quincto et ſexto.

Progredimur ad uerſum quartum, in quo ſine haeſitatione haec nomina legimus: ΑΞΙΟϹ ΑΙΛΙΑΝΟϛ: ubi digna obſeruatu eſt forma τȣ̃ Ξ, in monumento expreſſa; quae proxime accedit ad eam figuram, quam Montfauconius, in *Tabula Alphabetici Graeci*, *p.* 336, quarto loco affert, et in aliquot marmoribus reperiri teſtatur. Ad quam figuram bene accommodari poteſt, quod de litera Ξ, uel ξ, cecinit Auſonius, in *Technopaegn. de literis*:

Maeandrum flexusque uagos imitata uagor ζ.

Sed et in quincto uerſu ſine omni difficultate legitur Ο ΝΕΩΤΕΡΟϹ, i. e. *Iunior.* Sequitur uox diuiſa, et ex parte in ſextum uerſiculum relata, ΕΥΧΑΡΙϹΤΗΡΙΟΜ; in qua literam ultimam Μ pro Ν poſitam animaduertimus, dubii, utrum a lapidario, an a deſcriptore, ſic effictam. Certe ſic Μ finale per errorem ſcriptum uidemus pro Ν, in monimento Latino, apud Gruterum, *CCCXL*, 4:

FAVISTI. VIVO. FORSITAM. IPSE. MIHI.

Quin Spanhemius, *de uſu et praeſtantia numiſm. T. I*, *p.* 119. monet, cum alibi, tum paſſim in foedere Seleuci cum Smyrnaeis, ac in Smyrnaeorum Decreto, in *marmoribus Arundellianis*, legi ΤΗΜ pro ΤΗΝ. ΕΜ pro ΕΝ. ΤΩΜ pro ΤΩΝ. et ΟϹΙΩΜ pro ΟϹΙΩΝ. itemque in antiquo Amyntae Regis numo exhiberi ΑΜΥΜΤΑ pro ΑΜΥΝΤΑ.

VI.

De ultima uoce ΟΝΙΟϹ.

Quod ad ultimam denique uocem huius monimenti attinet, eius interpretatio multis difficultatibus nobis obſtructa uidetur. Exiſtimabamus primum, nomen ΟΝΙΟϹ fortaſſe deprauatum eſſe, ex uoce ΑΙΩΝΙΟΝ, hancque commode referri poſſe ad proximum uocabulum ΕΥΧΑΡΙϹΤΗΡΙΟΝ, quaſi ſic *aeternum grati animi monimentum atque donarium*

fuerit

fuerit ſignificatum; haud ſecus, ac u. g. in Reineſii *Syntagm. Inſcript. Claſſ. XVII*, *n.* 19, legitur:

ΑΡΤΑΒΑΝΩΙ
Η. ΜΝΗΜΗ ΑΙΩΝΙΑ.

At enimuero, hanc interpretationem nobis ipſis dubiam reddunt alia duo monimenta, utique tum ratione loci, ubi reperta ſunt, tum ratione nominum, quae referunt, cum noſtro Epigrammate conferenda; quorum unum *Albae Iuliae*, alterum in uico *VVarhel*, quondam inuentum eſt; cui utrique ſubiicitur nomen decurtatum IONI. Vtraque exhibet Gruterus, *p. LXXVIII*, *n.*1. et 2; quae infra illuſtranda ſuſcipiemus. Interea prioris monimenti inſcriptionem licebit hic afferamus:

FORTVNAE
REDVCI. LARI
VIALI. ROMAE
AETERNAE
Q. AXIVS. AELIA
NVS. VE. PROC
AVG.

IONI

Quid hic ultimae literae IONI, quaſi a tota inſcriptione ſeparatae, ſibi uelint, prorſus obſcurum uidetur. Id duntaxat certum eſt, eas non ad Graecam uocem ΑΙΩΝΙΟΝ pertinere. Interim, ſi quid coniectura aſſequi poſſumus, opinamur, iis indicari nomen lapidarii, ſiue ſculptoris, qui fortaſſe dictus eſt IONIVS. Quod nomen a monimentis Romanis alienum non eſt. Sic enim in baſi marmorea, Domitiano Caeſari, Anno LXX poſt C. N. dedicata, apud Gruterum, *p. CCXL*, inter *tribules Iuniores Tribus Succ.* commemoratur Q. IONIVS ONESIMVS, ſine dubio libertini generis homo; utpote quales potiſſimum ad iuniores tribuum referebantur. An hic ipſe

 fortaſſe

fortaſſe fuerit ſculptor, attigeritque aetatem Traiani, quo imperante Q. Axius Aelianus uixit, affirmare non audemus. Sufficit, hinc ſatis probabiliter intelligi, eo etiam aeuo *Ionium* quendam uiuere potuiſſe. Equidem haud inficiamur, rariſſime inueniri artificum et architectorum nomina monimentis antiquis adſcripta: non tamen prorſus inauditum eſt, eos uariis modis ſui nominis memoriam operibus alleuiſſe. Sic Plinius, *Libr. XXXVI*, 5, refert, *Sauron* et *Batrachon*, (Lacones Architectos) templa Octauiae porticibus incluſa conſtruxiſſe, inſcriptionem ſperantes; qua negata, hoc tamen alio loco et modo uſurpaſſe: nam in columnarum ſpiris inſculpta nominum ipſorum argumenta, *ranam* atque *lacertam*; quia Graeci hanc σαῦρον, illam βάτραχον, uocant. Imo Philippus a Turre, in *Monimentis ueteris Antii*, *p.* 119, quaedam monimenta nominatim excitat, in quibus, uel aperte, uel latenter, artifices nomen ſuum prodiderint. Tacemus nunc tot gemmas uetuſtas, nominibus caelatorum ſimul inſignitas, quas ſingulari dexteritate haud ita pridem collegit deſcripſitque Dn. *Philippus de Stoſch.* Imo, ueterem inſcriptionem, ſtatuae adiectam, exhibet Bern. Montfauconius, in *Diario Italico*, *p.* 425; in cuius fine haec legimus uerba:

ΩΦΑΝΗΣ ΛΑΣΘΕΝΕΟΣ ΑΣΚΛΑΠΙΩ
ΑΝΕΘΗΚΕ. ΜΑΧΑΤΑΣ ΕΠΟΙΗΣΕ.

i. e. *Ophanes*, *Laſthenis filius*, *Aeſculapio conſecrauit. Machatas fecit.* Adhaec, luculentum exemplum affert Sponius, *Miſcell. erud. antiqu. Sect. IIII*, *p.* 132, ubi nomen artificis ipſi mediae inſcriptioni ſimul inſertum legimus. Dignum eſt iſtud monimentum, quod hoc loco repetamus, cum non parum faciat, ad noſtrum monimentum illuſtrandum. Inſculpta eſt ea inſcriptio alteri parti *Baſeos*, Romae ex uicinia Thermarum Traiani erutae, quae olim tulerat Apollinis et Aeſculapii ſigna, ob ſanitatem recuperatam a Nicomede Medico dedicata:

ΤΩ ϹΩΤΗΡΙ ΑϹΚΛΗΠΙΩ ϹΩϹΤΡΑ ΚΑΙ
ΧΑΡΙϹΤΗΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗϹ Ο ΙΑΤΡΟϹ
ΤΑΝ ΠΑΙΔΟϹ ΚΑΛΛΙϹΤΑΝ
ΕΙΚΩ ΤΑΝ ΔΕ ΘΕΟΙΟ
ΠΑΙΑΝΟϹ ΚΟΥΡΟΥ ΜΑΤΡΟϹ ΑΠΑΡΤΙΤΟΚΟΥ
ΔΑΙΔΑΛΛΩΝ ΜΕΡΟΠΕϹϹΙΝ
ΕΜΗϹΑΟ ϹΕΙΟΒΟΗΘΕ
ΕΥΠΑΛΛΑΜΟΥ ϹΟΦΙΗϹ
ΜΝΑΜΑ ΚΑΙ ΕϹϹΟΜΕΝΟΙϹ
ΘΗΚΕ Δ ΟΜΟΥ ΝΟΥϹΩΝ ΤΕ
ΚΑΚΩΝ ΖΩΑΓΡΙΑ ΝΙΚΟ
ΜΗΔΗϹ ΚΑΙ ΧΕΙΡΩΝ
ΔΕΙΓΜΑ ΠΑΛΑΙΓΕΝΕΩΝ

i. e. *Aeſculapio Seruatori donaria pro ſalute reſtituta et gratae mentis monimenta Nicomedes Medicus dedicat. Pulcherrimam hanc imaginem Pueri, Dei Paeanis, filii matris, quae cito peperit, adornans mortalibus effinxiſti, Seioboethe*, [ſculptoris nomen] *artificioſae ſcientiae tuae monimentum etiam poſteris. Poſuit autem Nicomedes, ut eſſet ſimul liberationis pretium a malis morbis, et manuum ſpecimen antiquarum.* Quidni igitur putemus, in hoc quoque monimento, quod nunc explicamus, *Ionium*, lapidarium, nomen ſuum annotaſſe. Vix autem dubitamus, quin et iſte lapis, cui inſcriptio Marſigliana fuit inſculpta, baſis fuerit ſtatuae Aeſculapii. Vtcunque uero eſt, nos utique in interpretandis illis notis ΙΟΝΙ et ΟΝΙΟϹ, adhuc dubii haeremus, certiora monituris ſponte locum relicturi.

VII.

De figuris literarum Є, C, *et* ЄIꝺ.

Quemadmodum uero in uniuerſum eximios et conſpicuos ſingularum literarum characteres in hoc monimento ſuſpicimus; ita nunc ſigillatim de forma literarum Є, C, et Єꝺ, non nihil diſſeremus. Quod ad figuram Є attinet, hac utique antiquior uidetur altera figura E, utpote Phoeniciae inuerſae ſimilior, et iam uetuſtiſſimis Ionibus et Atticis uſurpata. Verumtamen et hanc Є iam inde ab Alexandri M. temporibus in numis marmoribusque deſignatam reperiri, in *Alphabeto Graecarum literarum* oſtendit Eduardus Bernardus. Vid. Spanhemius *de uſu et praeſtant. numiſm. Tom. I, p.* 82. Montfauconius autem, *Palaeograph. Gr. Libr. II, cap. VI, p.* 152, docet, literam Є in marmoribus Romanis et occidentalibus, ab Auguſto ad quartum ſaeculum, ſaepius hac rotunda forma ſcriptum occurrere; an uero Auguſtorum aeuum praeceſſerit, non conſtare; in marmoribus autem Graeciae et Orientis, E uetuſtiore et quaſi quadra forma exaratum, etiam poſt quartum ſaeculum obſeruari; ſed Є rotundum frequentius; atque huius poſterioris formae uſum ſubſequentibus ſaeculis ſic inualuiſſe, ut in omnibus Codicibus, unciali charactere conſcriptis, Є hoc modo conſpiciatur. Character C, pro *Sigma*, quinquies in monimento noſtro occurrit. Is eius eſt figurae, ad quam ſuo tempore alluſit Martialis, *Libr. XIIII. Epigr.* 87:

Accipe lunata ſcriptum teſtudine Sigma.

Vtrum uero forma Σ, an eius loco C, antiquior ſit, diſputant uiri eruditi. Salmaſius, in *Exercit. Plinian. p.* 838. tradit, *Sigma Graecorum antiquiſſimum formatum, ut C Latinorum.* Sic et Scaliger, in *Animaduerſionibus ad Euſebium, p.* 117, ſtatuit, C uetuſtiſſimam eſſe τȣ̃ *Sigma* apud Graecos figuram. Verum Spanhemius, *de uſu et praeſt. Numiſm. T. I, p.* 99. *ſeqq.* copioſe et erudite demonſtrauit, in Graecorum antiquioribus numis paſſim Σ obſeruari; alteram uero formam C rarius ante Domitiani tempora uſurpatam; ſequentium demum

aetatum

aetatum propriam et peculiarem, ut rarius Domitiani aeuo, aut poſtea, prioris illius Σ ueſtigia numi lapidesque ueteres praebeant. Addimus et Montfauconii obſeruationem, qui *Paleograph. Gr. Libr. II, c. VI, p.* 153, tradit, formam c, pro *Sigma*, in marmoribus Europaeis, a primo Chriſti ſaeculo, frequentiſſime uſurpari; in Graecis et Orientalibus, uſum τȣ Σ ad quartum usque Chriſti ſaeculum perductum eſſe, ita tamen, ut c etiam perſaepe adhibeatur; et utrobique ⊏ non infrequenter compareat: in libris uero uetuſtioribus, quotquot unciali charactere deſcripti ſuperſint, c ſemper legi. *Omega* in noſtro monimento hac ſingulari forma CIↃ ſignatum ter occurrit; quam figuram neque Eduardus Bernardus, neque Bernardus de Montfaucon, in *Graecarum literarum Alphabetis* annotarunt. Eandem tamen formam τȣ *Omega* bis deprehendimus in numo Graeco Rhodienſium; quem numum, in *Theſauro Brandenburgico, Vol. I, p.* 416, exhibuit Begerus; de cuius autem aetate nihil decernere poſſumus. Alioquin conſtat, antiquiſſimis temporibus, unica hac figura ſimplici O μικρὸν pariter atque μέγα expreſſum fuiſſe: usque dum Ω inualuit; quam literam annis ante Chriſtum natum circiter CCCCL introductam cenſet, eiusque uarias figuras refert Montfauconius, *l. c. p.* 336. et 338: quibus, praeter eam, que in noſtro monimento atque in numo Rhodienſi eſt, etiam hanc ω addere liceat, quae apud Begerum, *l. c. p.* 446, in numo Patrenſium conſpicitur.

VIII.

De omiſſo Iota ſubſcripto, uel adiuncto.

Sed cum uideamus, a nominibus ΑϹΚΛΗΠΙΩ et ΥΓΕΙΑ, in caſu dandi poſitis, abeſſe *Iota*, tum ſubſcriptum, tum adiunctum; de illo more ſcribendi, quae Montfauconius obſeruarit, adhuc exponemus. Hic uero, *Palaeograph. Gr. Libr. I, c. IIII, p.* 33: ἰῶτα *ſubſcriptum, ut uocamus*, inquit, *Graeci in marmoribus, tabulis, ac libris manu ſcriptis, uulgo non indicant; uulgo dixi: non nunquam enim adſcribunt, ſed poſt literam, cui*

cui adingitur, *et in ſerie aliarum literarum*, *hoc pacto:* ΤΥΧΗΙ, ΟΔΩΙ, *ubi hodierno uſu ita ſcribitur*, τύχῃ, ὁδῷ. *In tabulis uero uetuſtiſſimis*, *antequam uſus literarum* Η *et* Ω *aduectus eſſet*, *inciſis*, *ita ſcribitur:* ΤΥΧΕΙ ΟΔΟΙ, *ut uidere eſt in Baudelotianis et Farneſianis*, *aliisque*, *inſcriptionibus*. Paullo infra, *p.* 138: *Datiuus caſus*, inquit, *in marmoribuus per* Ω *tantum plerumque ſcribitur*; *non nunquam tamen* Ι *adiungitur*, *hoc modo* ΩΙ: *nam Iota ſubſcriptum longe poſterioris uſus eſt.* Varia etiam, quae ad hoc argumentum ſpectant, affert Io. Dan. Maior, Vratislauienſis, in *Appendice de ſuſpecta Iotorum ſubſcriptione*, quam Epiſtolae de *Numis Graece inſcriptis* adiecit. Vtinam uero aliquis diſtinctius et tempora et loca annotaſſet, quando et ubi potiſſimum *Iota* literis Α, Η, et Ω, in *caſu datiuo* poſitis, uel adiici, uel in iis omitti, conſueuerit! Sic enim, exempli cauſſa etiam ii, qui in dubiis quibusdam diuinarum literarum locis, ad demendum, uel addendum *Iota adiunctum*, confugiunt, tutiora haberent praeſidia. Nobis interea ſufficit, conſtare, aetate Traiani Imperatoris, ad quam hoc monimentum referendum cenſemus, in iſtis, quas diximus, literis, *Iota* modo omitti, modo adiici, conſueuiſſe. Ita nempe omittitur, apud Gruterum, *p. MLXXXIIII*, *n.* 11:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙϹΑΡΙ
ΘΕΟΥ. ΝΕΡΒΑ. ΥΙΩ. ΝΕΡΟΥ
Α. ΤΡΑΙΑΝΩ. ϹΕΒΑϹΤΩ
ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΜΕΓΙϹΤΩ. ΔΗ
ΜΑΡΧΙΚΗϹ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ
ΤΟ. ΙΖ. ΥΠΑΤΩ. ΤΟ. Γ. ΠΑΤΡΙ
ΠΑΤΡΙΔΟϹ. ΤΩ. ΤΗϹ. ΟΙ
ΚΟΥΜΕΝΗϹ. ΚΙϹΤΗ
ΛΙΤΤΙΩΝ. Η. ΠΟΛΙϹ
ΔΙΑ. ΠΡΩΤΟΚΟϹΜΟΥ. Μ
ΠΟΜΠΙΟΥ. ΚΛΕΙΜΕΝΙ

Contra *Iota adiectum* eodem aeuo reperitur, u. g. apud eundem Gruterum, *p. LX*, *n.* 6:

ΔΙΙ. ΓΑΤΡΙΩΙ
ΚΑΙ ΑΡΤΙΜΓΑΣΑ
Α. ΦΑΒΙΟΣ. ΠΟΛΕΜΩΝ
ΑΠΕΛΕΥ. ΜΑΡ. ΟΥΛΠ.
ΤΡΑΙΑΝ. ΣΕΘΥΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ

VIIII.

De Axio Aeliano Vetere, et Iuniore: ubi et quaedam inſcriptiones Gruteri illuſtrantur.

Hactenus de ὀρθογραφίᾳ huius inſcriptionis; nunc ad argumentum eius breuiter enarrandum illuſtrandumque progredimur. Scilicet in ea dicitur *Axius Aelianus*, *Iunior*, *(ob ſalutem et ualetudinem conſeruatam aut recuperatam,) Aeſculapio et Hygiae*, *Diis benigniſſimis et hominum amantiſſimis*, *donarium conſecraſſe: quod opus confecerat fortaſſe ſculptor* IONIVS *dictus.* Ille, qui hoc donarium dedicarat, appellatur AXIVS AELIANVS, *Iunior;* cui ſine dubio etiam QVINCTI Praenomen fuit: quia nempe in Dacia, ubi is tunc conſiſtebat, eodem tempore alius fuerat Q. AXIVS AELIANVS, *Vetus*, i. e. *Senior*, uel *natu maior*, dictus, qui fortaſſe iſtum cognominem filium, uel fratrem ſuum, ſecum habuerat in comitatu. Cui rei argumento eſt illa inſcriptio antiqua, quam ſupra iam, *Sect. VI*, *p.* 7, e Grutero attulimus; e quo *(LXXVIII, 2,)* ſimilem, eamque in uico *VVarhel in Tranſiluania* repertam, et e Cluſii Schedis deſcriptam, hoc loco repetemus:

FORTVNAE
REDVCI
ROMAE
AETERNAE
Q. AXIVS. AELIA
NVS. VE. PROC
AVG
IONI

Imo

Imo et reliqua monimenta *Q. Axii Aeliani* nomen adhuc ſeruantia, ſubiiciemus. Huius generis inſcriptionem, in *uilla Tachſtein, in Tranſiluania*, inuentam, et a Lazio deſcriptam, exhibet Gruterus, *p. IIII, n.* 8:

I. O. M. IVNONI. REGINAE
MINERVAE. OMNIBVS
DIS. IMMORTALIBVS
Q. AXIVS. AELIANVS. VET. PROC
AVG. ET. AELIA. ROMANA
EIVS. CONI

Aliam *Brettae in Tranſiluania*, inter lapides Oſtrohinos repertam, e Zamoſcio, refert Gruterus, *p. CII, n.* 4:

SPEI. VIRTVTI. VICTORIAE
D. D. D.
QVARVM. NVMINE. PROSPERI
TAS. ET. HONOR. IMP. CAES
TRAIANI. SVCCESSV. FELICI
AVCTA. SVNT. Q. AXIVS. AELI
ANVS. PROC. NVMINI. EIVS
L. D. D. D.

Denique et ſequentem, quae itidem *Brettae*, uico ad amnem *Sergetiam*, in aedibus Dominorum Oſtrohienſium, aſſeruata eſt, e Grutero, *p. XXXVII, n.* 11, repetimus:

APOLLINI. GRANNO
ET. SIRONIAE. DIS. PRAE
SENTIB. Q. AXIVS. AELI
ANVS. V. E. PROC. AVG. C.

In ſingulis iſtis Inſcriptionibus Q. AXIVS AELIANVS dicitur PROCVRATOR AVGVSTI, et quidem in *Inſcript. III.* diſerte fit mentio IMP. CAES. TRAIANI. De Procuratoris munere nihil attinet hoc loco commentari; maxime cum eius rationes haud ita pridem apud nos luculenter explicarit V. CL. Gotfredus Maſcouius, in *Diſſert. de Procuratore Caeſaris.*

Verum

Verum dubiae interpretationis ſunt illae literae VE. IOS. Scaliger, uir magni nominis, in *Indice Grammatico Operis Gruteriani*, has uoces: VE. PROC. AVG. interpretatur: VETVS PROCONSVL, pro: EXPROCONSVLE, i. e. *qui fuit Pro-Conſul.* At, ſicuti quendam *Proconſulem Auguſti* dictum non facile inueniri putamus in genuinis monimentis; ita particulam VE nolimus ad uocem ſubſequentem PROC. AVG. ſed ad antecedens nomen Q. AXII AELIANI, referre; ut hic *Vetus*, i. e. *Senior*, dictus, diſcernatur a noſtro AELIANO cognomine, qui ex eadem cauſſa in inſcriptione audit Ο ΝΕΩΤΕΡΟϹ, i. e. *Iunior.* Equidem fatemur, hunc uocabuli VETERIS uſum inſolentem uideri. Licet enim etiam alibi parentes et filii, itemque fratres, aliique cognomines, in antiquis documentis, a ſe inuicem diſtinguantur; frequentius tamen SENIORES, quam VETERES, natu maiores dictos reperimus. Sic e. g. in Fabretti *Inſcript. antiq. p.* 30, *n.* 139, legimus:

De interpretatione literarum VE.

APP. MADIO. EV
DAEMONI. SENIO
RI. APP. MADIVS
EVDAEMON. FIL.
ET. MADIA. ZOE
COIVGI. B. M.
FECERVNT.

Contra, aetate minor, non raro appellabatur IVNIOR, u. g. apud eundem Fabrettum, *p.* 369: L. MARCVLEIVS FAVSTVS IVNIOR. T. AELIVS ERASTVS IVNIOR. cetera. Praecipue autem MAIORIS et MINORIS cognomine diſtinguebatur familiae nomen, quo duo uocabantur fratres ſororesue. Sic Tranquillus, in *Vita Auguſti*, *c. IIII*, Octauiam et *maiorem*, et *minorem*, commemorat. Sic et apud Liuium, *Libr. I*, 46 *et* 47, *Tullia maior* et *minor*, nominatur. Similia exempla, ex uetuſtis lapidibus l. c. affert Fabrettus.

 Nihilo-

Nihilominus tamen haud exiſtimandum eſt, notionem eandem uocabuli VETERIS ab uſu et indole linguae Latinae prorſus eſſe alienam. Certe, ipſe Liuius, *Libr. XXXXII, c.* 47. VETERES dicit, quos paullo poſt nominat SENIORES. Adhaec Io. Meurſius, *Exercit. Critic. P. I, p.* 110, ad demonſtrandam eandem uocis VETERIS ſignificationem, tres antiquos lapides excitat teſtes. Primus lapis iſta refert:

ARCOBRICENSES IVVENES ET VETERES
STATVAM IN FORO POSVERE.

Item alter:

ARVNCITANI VETERES ET IVVENES
OPT. CIVI

Tertius:

TVRIASON. VETERES ET IVN
STATVAM IN FORO MI
NERVAE OPT. CIVI. P.

Poſſemus in hanc rem, alia etiam monimenta, e Grutero excitare, niſi interpretatio Scaligeri et Vrſati ea ex hac parte reddidiſſet ambigua. Interim perſuaſi ſumus, Q. AXIVM AELIANVM in iſtis Gruterianis Inſcriptionibus, dictum eſſe VETEREM, ut a Q. AXIO AELIANO IVNIORE diſtingueretur. Vnde intelligimus, illam inſcriptionem, quam in *hac Sectione* quarto loco e Grutero atulimus, omnino mendo inquinatam eſſe, ubi Q. AXIVS AELIANVS dicitur V. E. PROC. AVG. Ibi enim literae V. E. intempeſtiue, per interpunctionem diuelluntur. Vnde fallus eſt, et fefellit Sert. Vrſatus, in *Comment. de Notis Romanorum, p.* 439, qui has notas: V. E. PROC. AVG. C. interpretatus eſt: *Vir Egregius, Procurator Auguſti Caeſaris*, uel, *Conſecrauit.* Neque enim titulus *uiri egregii* in Traiani Imp. aeuum, illosque Procuratores Caeſaris, conuenit. Equidem alicui forte in mentem ueniat, iſtas ſiglas VE et VET. pertinere ad ſignificandam Axii Aeliani tribum; cum utique inter

tribus

tribus Romanas aliqua etiam fuerit VETVRIA dicta; cuius tribus mentio, non raro occurrit, in monimentis antiquis; u. g. apud Gruterum, *p. DCCCCII, n.* 4: SEX. APVSIVS. SEX. F. VET. BAIBIVS. VOLSCIS. LATIN. ubi legendum: *Sextus Apuſius, Sexti Filius, Veturia* (ſcil. tribu) *Baibius* (cognominatus.) Et, *p. XXIIII, n.* 15: IVNONI. IVGALI. SEX. CALPVRNIVS. SEX. F. VETVRIA (ſcil. tribu) IVVENTIANVS. Verum, cum in *Q. Axii Aeliani* monimentis, ſiglae VE. uel VET. cognomini Aeliani non praeponantur, ſed ſubiiciantur; eae ad ſignificandam tribum haudquaquam faciunt. Conſtat enim inter antiquitatis Romanae peritos, et nominatim Fabrettus, in *Syntagm. Inſcript. p.* 337, luculenter demonſtrauit, tribum non niſi inter nomen cognomenque collocari, aut certe cognomini nunquam poſtponi conſueuiſſe. Ceterum, ut ἐν παρόδῳ iſtud addam, primae inſcriptioni in *hac Sect.* e Grutero allatae, aeque ac ſuperiori, *p.* 7, in fine ſubiicitur nomen ſculptoris IONII. In tertia inſcriptione, ſiglas has: D. D. D. per uocem DEABVS; et poſtremas: L. D. D. D. per haec uerba: LIBENS DONO DEDIT, interpretamur. In *quarta*, APOLLO cognominatur GRANNVS, eique SIRONIA Dea additur: quae nomina etiam in alio monimento coniuncta, a Grutero, *p. XXXVII, n.* 10, exhibentur:

APOLLINI
GRANNO. ET
SANCTAE
SIRONIAE
SACRVM

Marcus VVelſerus, ubi monumenta agri Auguſtani explicat, *Opp. p.* 406, originem huius cognominis *Granni* adhuc quaerit: interim ſuſpicatur, ab eadem uoce *Aquisgranum* et *Aquas Graneas* nomen accepiſſe; cum ea urbs olim *Apollinis lucos et ſacras ſedes* habuerit. Vir celeberrimus, B. G. Struuius,

 in

in *Syntagm. Antiquit. Rom. p.* 92, docet, haec Graeca eſſe nomina, alterum a nomine Sinus Megaridis, alterum a nomine montis eiusdem regionis, orta. SIRONIA DEA, inquit, *nulla alia eſt, quam* ΑΡΤΕΜΙϹ, *ſiue* DIANA; *quae Heſychio* SARONIA DEA, *a ſinu Saronico, dicitur; ſinus autem hic Megaridis, Graecorum regionis, pars erat. Montem uero in eadem Megaride fuiſſe, cui nomen Gerania, Harpocration teſtatur.* Γερανία, inquit, ἔστιν ὄρος Μεγαρίδος, i. e. *Gerania mons eſt Megaridis.* In his igitur tantiſper acquieſcimus, dum certiora eluceſcant.

X.

Adhaec obſeruandum eſt, uocabulum ΕΥΧΑΡΙϹΤΗΡΙΟΝ, Εὐχαριστήριον. quod perinde, ac ſimplex, notat *donarium, grati animi monimentum,* ſiue *munus, quod datur ab eo, qui gratias agit.* Sic, ſecundum *Philoxeni Gloſſarium,* χαριστήριον eſt *donum,* uel *donarium.* Ita nimirum pagani Diis ſuis, ob beneficia, quae iis referebant accepta, uarii generis donaria, grati animi declarandi cauſſa, conſecrarunt. In quam rem unicum nunc afferam teſtimonium, ex *Periplo Ponti Euxini et Paludis Maeotidis,* ubi de inſula Achillis, eiusque templo, haec legimus: Καὶ γὰρ καὶ ἄλλα πολλὰ ΑΝΑΘΗΜΑΤΑ ἀνάκειται ἐν τῷ ναῷ, φιάλαι, καὶ δάκτυλοι, καὶ λίθοι τῶν πολυτελῶν καὶ πολυτελεστέρων. Ταῦτα ξύμπαντα ΧΑΡΙϹΤΗΡΙΑ τῷ Ἀχιλλεῖ καὶ ἀνάκειται καὶ ἐπιγεγραμμένα ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ μέτρῳ, ἔπαινοι Ἀχιλλέως. Plura de *uotis, donariis, anathematis,* et *tabellis uotiuis,* peculiari libello collegit Iac. Philippus Thomaſinus. Hunc honorem ſigillatim habuerunt etiam Aeſculapio; in cuius templis non ſolum ſaepius in tabellis dedicatis remediorum ſalutarium rationes conſignarunt; cuiusmodi monimentum exhibet Gruterus, *p. LXX,* 1: ſed et cuius numini uaria munuſcula, ſigna, et epigrammata, conſecrarunt. Referimus huc inſcriptionem ex eodem Grutero, *p. LXX, n.* 8:

DEO. AESCVLAPIO. VAL. SYMPHORVS. ET PROTIS. SIGNVM. SOMNI. AEREVM. TORQVEM AVREVM. EX DRACVMCVLIS. † Δ. P. S 7 ·∴· ENCHIRIDIVM. ARGENT. P ⁛ - S. ANABOLIVM OB. INSIGNEM. CIRCA. SE. NVMINIS. EIVS EFFECTVM. V. S. L.

DONARIA autem Aeſculapio conſecrata κατ᾽ ἐξοχὴν etiam dicebantur CΩCTPA. Vnde Nicomedes Medicus, in ea inſcriptione, quam e Sponio iam ſupra, *p. 9*, attulimus, duo iſta uocabula coniunxit: CΩCTPA KAI XAPICTHPIA. Liuius, *Libr. XLV*, *c.* 28, eiusmodi dona uocat, quae REMEDIORVM SALVTARIVM MERCEDEM *aegri ſacrauerint Deo* Aeſculapio. Quae res in aliis monimentis aliter exprimitur. Apud Reineſium, *Claſſ. I*, *n.* 199, legimus: ΥΠΕΡ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ. Apud Gruterum, *p. LXX*, 1: Δημοσίᾳ ηὐχαρίστησε θεῷ i. e. *publice egit gratias Deo.* Additur autem alias nomini Χαριστήριον, uel εὐχαριστήριον, uerbum ἀνέθηκε, aut aliud eius generis, u. g. apud Gruterum, *p. LXXV*, *n.* 7:

M. MARIOC. EΠIKTHTOC. THI TYXHI. NEAC. ΠOΛEΩC. ANEΘHKEN. XAPICTHPION

Conf. Sponii *Miſcell. Sect. X*, *p.* 345, et Reineſii *Syntagm. Inſcript. Claſſ. I*, *n.* 126. Cuiusmodi uerbum in noſtra inſcriptione eſt omiſſum, haud ſecus, ac alibi ſaepius omiſſum animaduertere licet, u. g. apud Gruterum, *p. MLXVII*, 7. apud Reineſium, *Claſſ. I*, *n.* 73, et in pluribus aliis locis. Hinc adeo intelligimus, Axium Aelianum Aeſculapio et Hygeae, fortaſſe ob conſeruatam aut reſtitutam ſibi ualetudinem, hoc monimentum dedicaſſe. Quemadmodum uero ea inſcriptio, quam ſupra, *p.* 9, e Sponio attulimus, *baſi* fuit inſculpta, quae donarii loco tulit ſigna Apollinis et Aeſculapii, a Nicomede Me-

dico dedicata; ita uix dubitamus, quin et hic lapis, cui noſtrum Epigramma fuit inſcriptum, tanquam baſis ferendis Aeſculapii et Hygiae ſignis inſeruierit.

XI.

De Diis, quibus conſecratum fuit hoc monimentum.

Accedimus nunc ad conſideranda nomina Deorum, quibus monimentum noſtrum conſecratum eſt; quae et alibi frequenter in Graecis Latinisque ueterum lapidibus occurrunt. Legimus enim hoc donarium ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ inſcriptum, i. e. *Aeſculapio, et Hygiae.* Cuius generis aliquot inſcriptiones nobis ſuggerit Gruterus, u. g. *p. LXIX*, 1:

ΖΩΣΙΜΟΣ. ΟΝΗΣΙΦΩΝΤΟΣ
ΚΑΙ. ΤΡΕΙΤΩΝΙΣ. ΥΕΡ. ΤΟΥ
ΥΙΟΥ ΟΝΗΣΙΦΩΝΤΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΙΑΙ.

p. LXVIII, n. 5:

ΑϹΚΛΗΠΙꞶ
ΚΑΙ ΥΓЄΙΑ
ϹꞶΤΗΡϹΙΝ
ΠΟΛΙΟΥΧΟΙϹ

Memorabili cognomine hi Dii uocantur Σωτῆρες πολιοῦχοι. Quia enim Aeſculapius, memorante Arnobio, *Libr. I et VII*, habebatur *Cuſtos ſanitatis et praeſes, ſalutis dator, ualetudinum peſſimarum propulſator, prohibitor et extinctor;* hinc paſſim in uetuſtis monimentis numisque audit ΣΩΤΗΡ. Sic, docente Spanhemio, *de uſu et praeſt. numiſm. Vol. I, p.* 417, in Numis Nicaeenſium et Coorum, ΣΩΤΗΡ ΑϹΚΛΗΠΙΟϹ, et ΚΟΙΩΝ ΣΩΤΗΡ appellatur. Hinc et templum Aeſculapio, Aegis in Cilicia, ὡς ἂν ἐπὶ ΣΩΤΗΡΙ καὶ ΙΑΤΡΩ, tanquam SERVATORI et MEDICO conſecratum, quodque dirui iuſſerit Conſtantinus, tradit in *eius uita, L. III, c.* 36, Euſebius. Sic et Iulianus, *Apoſtata, Orat. IV, p.* 153, eundem Aeſculapium appellat ΤΟΝ ΣΩΝΤΗΡΑ ΤΩΝ ΟΛΩΝ,

i. e.

i. e. SERVATOREM OMNIVM. Vnde et alibi σωτήρια Ἀσκληπίεια commemorantur, i. e. *ſacra Aeſculapii honori dicata, ſolenneſque ludi;* de quibus adire licet eundem Spanhemium, *Epiſtol. I, ad Morellium.* Hinc uero et Medici aliquando σωτῆρες dici coeperunt, uti e. g. apud Ariſtaenetum, *Libr. I, Epiſt.* 13, Panacium Medicum Σωτῆρα τὸν ἄνδρα προσεῖπον, *Seruatorem uirum uocarunt.* In iſtius adeo elogii conſortionem etiam uenit HYGEA, filia Aeſculapii, et Dea ſalutis. In eodem autem Epigrammate utrique dicuntur ΠΟΛΙΟΥΧΟΙ, h. e. *Dii urbici, urbis cuſtodes atque defenſores, qui patrocinio ſuo tutelaequae commiſſam urbem habent;* quia ſub eorum praeſidio, tutelaque, urbes ſecurae agere credebantur. Cuiusmodi titulo etiam plures ornantur Dii. Sic ab Ariſtophane, *Equit. p.* 323, uocatur Παλλὰς πολιοῦχος, *Pallas, urbis cuſtos.* Haud ſecus, ac in *Epigr.* apud Gruterum, *p. MLXVII*, 7, ſcribitur ΑΘΗΝΑΙΑ ΠΟΛΙΑΣ. Platoni, *de Legibus*, dicitur Ζεὺς πολιοῦχος, *Iupiter, ſeruator urbis.* Contra *Dii pagani*, ſiue *agrorum praeſides*, uocabantur Θεοὶ πεδιονόμοι. Quae nomina coniunguntur apud Aeſchylum, *Sept. Theb. u.* 272: Ἐγὼ δὲ χώρας τοῖς ΠΟΛΙΣΣΟΥΧΟΙΣ ΘΕΟΙΣ ΠΕΔΙΟΝΟΜΟΙΣ ΤΕ. i. e. *Ego uero regionis huius et urbis Cuſtodibus Diis, et Paganis,* etc. Porro in *monimento Albae Iuliae*, apud Gruterum, *p. LXVIII*, dicuntur ΘΕΟΙ ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙ, i. e. *Dii auxiliatores:*

ΚΥΡΙΩ. ΑСΚΛΗ
ΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΙΗ
ΘΕΟΙС. ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙ.
ΜΑΡ. ΜΕΜΜ. ΛΟΝ
ΓΟС. ΒΕΝΕΦ. ΕΥΧΗС
ΧΑΡΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Vocatur autem hic Ἀσκληπιὸς Κύριος haud ſecus, ac in alia inſcriptione, apud Gruterum, *p. MVI*, 1, Latine audit AESCVLAPIVS DOMINVS. In Latinis uero monimentis multo

crebrius

crebrius occurrunt coniuncta *Aeſculapii* et *Hygeae* nomina. Sic, ut e multis pauca ſeligamus, apud Gruterum, *p. LXVII, 9,* inter *Deos ſalutares* celebrantur:

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE
CAETERISQVE. DIIS. DEABVSQVE
HVIVSQVE. LOCI. SALVTARIB
C. IVL. FRONTONIANVS. VET
EX. B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDI
TIS. SIBI. LVMINIBVS. GRAT
AG. EX. VISO. PRO. SE. ET. CAPSIA
MAXIMA. CONIVG. ET. IVLIA
FRONTINA. FILIA. V. S. L. M

Ibidem, *p. LXVIII, 4,* Lapidi, imaginibus *Aeſculapii* et *Hygiae*, inſignito, haec uerba leguntur adſcripta:

NVMINIBVS. SANCTIS
C. PVPIVS. C. F. ANI. FIRMINVS. D. D

Sicuti uero Aeſculapius et Hygea in elogiorum, ita et in eiusdem cultus et religionis, conſortionem uenerunt, et aliquando in uno eodemque templo coli conſueuerunt. Sic Pauſanias, *Corinth. Cap. XXIII*: Ἄγαλμα ἔχει καθήμενον Ἀσκληπιὸν λίθου λευκοῦ, καὶ παρ' αὐτὸν ἕστηκεν Ὑγεία. h. e. *Simulacrum habet ſedentis Aeſculapii e candido lapide, et iuxta eum ſtat Hygea.* Sic et Hippocrates iuſſit, ut Medici iurarent Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ Θεοὺς πάντας, καὶ πάσας, i. e. *Per Apollinem Medicum, et Aeſculapium, Hygeamque, et Panaceam, et Deos Deasque omnes.* Sed et *Collegium Aeſculapii et Hygeae* inſtitutum animaduertimus; cuius collegii leges exhibet uetuſtum marmor, a Sponio deſcriptum, *Sect. II. Miſcell. erudit. antiquit. p. 52.* Cui collegio Saluia Marcellina, nobilis opulentaque matrona, locum Aediculae, et ſummam pecuniae non contemnendam, dederat, ut ſocietas ſexaginta hominum certis anni diebus eam Aediculam frequentaret, et in ea rebus diuinis epulisque ſolennibus defungeretur.

XII.

XII.

Verum, nunc de *Aeſculapio* et *Hygea* adhuc ſeorſum non nihil afferemus. Neque uero omnem horum Deorum *mythologiam* complecti aggrediemur; cum eam operam iam alii uiri eruditi ex parte praeoccuparint, uidelicet Meibomius, *in Comment. ad Iusiur. Hippocr.* Spanhemius, in *Epiſtola 1 ad Morellium*, et Cellarius, in *Diſput. de Antiquitatibus Medicis*, aliique. Interim cum hi Dii, medicinae, et ſaluti hominum praeeſſe crederentur, tradita eorum munia atque beneficia quaedam enarrabimus. *Aeſculapii* uero nomen Graece dicitur Ἀσκληπιός. Quam Graecam pronunciationem aliquando etiam Latini retinuerunt. Huc referimus inſcriptionem Latinam e Grutero, *p. LXVIII*, *n.* 1:

De Aeſculapio, eiusque quibusdam inuentis.

ASCLEPIO ET
SALVTI
COMMILITONVM
SEX. TITIVS. ALEXANDER
MEDICVS. COH. V. PR
DONVM. DEDIT
(Domitiano) AVG. VIII.
T. FLAVIO. SABINO
COS.

Praetermittimus plura alia eius generis monimenta; cum et Hyginus, *Fab. CCII*, et Lactantius, *Cap. XXXIII*, *de Mort. perſecut.* pro *Aeſculapio* dixerint *Aſclepium*. Bene autem Gisb. Cuperus, in *Harpocrate*, *p.* 80, notauit Sertorium Vrſatum, qui in *monimentis Patauinis* tradidit, τὸ ASCLEPIVS eſſe cognomen AESCVLAPII; cum tamen *Aeſculapius* et *Aſclepius* idem ualeat, alterumque nomen Latinum, alterum Graecum ſit, ſed Latinis etiam uſitatum. Cuius nominis rationem alii iam excuſſerunt. Aeſculapius uero, teſte Diodoro Siculo, *Libr. IIII*, *c.* 9, *p.* 272. φύσει δὲ καὶ ἀγχινοίᾳ διενέγκας ἐζήλωσε τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην, καὶ πολλὰ τῶν συν-

τεινέντων πρὸς ὑγίειαν ἀνθρώπων ἐξεύρηκεν. h. e. *natura ingenioque praeclarus, medicinae opera impenſa, plurima hominum ualetudini utilia inuenit.* Quoniam adeo *Aeſculapius*, quod Celſus *in Praef.* ait, *adhuc rudem et uulgarem hanc ſcientiam paullo ſubtilius excoluit, in Deorum numerum receptus eſt.* Sed hoc loco notamus, ab ipſo Cicerone, *Libr. III de Natura Deorum, c. XXII*, tres *Aeſculapios* commemorari; quorum uero inuenta et res geſtas ab aliis ſaepe miſceri, et in unum quaſi confundi animaduertimus. Cicero uero: *Aeſculapiorum primus*, inquit, *Apollinis, quem Arcades colunt; qui ſpecillum inueniſſe, primusque uulnus dicitur obligauiſſe: ſecundus, ſecundi Mecurii frater; is fulmine percuſſus, dicitur humatus eſſe Cynoſuris; tertius, Arſippi et Arſinoae, qui primus purgationem alui dentisque euulſionem, ut ferunt, inuenit; cuius in Arcadia non longe a Luſio flumine ſepulcrum et lucus oſtenditur.* Videmus hic, inuentionem *ſpecilli* ad aliquem Aeſculapium referri; ſed dubitari poteſt, quid hoc loco per *ſpecillum* intelligatur. Meminimus legere, auctorem libri Germanici, Norimbergae editi, in quo uariorum artificum opificumque munia recenſentur, ſpecillum id habuiſſe pro inſtrumento, quod, alias etiam *conſpicillum* dictum, adhiberi ſolet oculis ad res clarius conſpiciendas. Sed hanc interpretationem auctoritate deſtitutam arbitramur. Celſus, *de Medicina*, nomen *ſpecilli* aliquot locis tribuit *inſtrumento chirurgico*, quo caries et fiſtulae atque uulnera pertentantur. Sic e. g. *Libr. VIII, c. VI*, ab eo uſus ſpecilli in explorandis caluariæ uitiis deſcribitur. *Qua plaga eſt,* inquit, *demitti ſpecillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum.* Conf. *Libr. V, c.* 28, §. 12. Poſſit hic nobis ſuſpicio oriri, annon per *ſpecillum*, cuius inuentio tribuitur Aeſculapio, apud Ciceronem intelligi debeat *unguentum* quoddam *ocularium*; propterea, quod Varro, *Libr. V de Lingua Lat. pag.* 61, haec ſcribat: *Spectare, dictum a Specio antiquo.* — .

Hinc,

Hinc, QVO OCVLOS INVNGIMVS, *quibus ſpecimus*, SPECILLVM. Huc accedit, quod ſecundum *Mythologos*, Aeſculapius, eiusque filii, etiam *ocularia medicina* inclaruerunt. Vnde forte adhuc apud ueteres Medicos collyrium quoddam uocatur *Aſclepias Machaonis*; quod Io. Rhodius, in *Notis ad Scribonium Largium*, *p.* 66, probat auctoritate Galeni. Nihilominus tamen exiſtimamus, etiam in citatis Varronis et Ciceronis locis, per SPECILLVM poſſe intelligi inſtrumentum, quo oculis adhibetur medicina. De hoc enim et Celſus, *Libr. VI*, *c. VI*, ubi agit de oculorum morbis: *Superinungi*, inquit, *oculi debent*, *ſic*, *ut crocus*, *faba*, *et papaueris lacrymae*, — *conterantur*, *et* SPECILLO SVPER OCVLOS INDVCANTVR. Item Scribonius Largus, *Compoſ. XXVI*, ubi *collyrium* quoddam commentauerat: *Facit etiam*, inquit, *ad palpebrarum aſpritudinem tollendam*, SVBIECTO *ſcilicet* SPECILLO, *aut inuerſa palpebra*, *ſi quis eo utatur.* Ad quae uerba haec commentatur Rhodius: Σπαθυμήλην *innuit Largus*, SPECILLVM *nempe* LATVM, *ſpathae forma: cuius hic maxime uſus*, *quando palpebram prae cicatricum craſſitie non licet inurere.* In quam ſententiam etiam explicari poſſint illa Plinii uerba, ex *Libr. VII*, *c. LIII: Repentina morte obiit C. Iulius medicus*, *dum inungit*, SPECILLVM *per oculum trahens.* Neque uero eiusmodi inſtrumentum alienum uidetur ab arte Aeſculapii, cum ad eum, eiusque filios praecipue *chirurgiae* cultura referatur; utpote quos Celſus, in *Praef. Libr. I*, dicat, *uulneribus tantummodo*, *ferro et medicamentis mederi ſolitos eſſe.* Sed hanc rem alii, quorum intereſt, accuratius expendant, diſcutiantque. Praeter medicinam autem, quae manu curat, Cicero l. c. uendicat Aeſculapio tertio *alui curationem.* Diodorus Siculus, *Libr. V. Bibl. p.* 235, haec de Aeſculapio commemorat: Ἀπόλλωνος καὶ Κορωνίδος Ἀσκληπιὸν γεννηθέντα, καὶ πολλὰ παρὰ τοῦ πατρὸς τῶν εἰς ἰατρικὴν μαθόντα, προσεξευρεῖν τήν τε χειρουργίαν, καὶ τὰς τῶν

φαρμάκων σκευασίας, καὶ ῥιζῶν δυνάμεις, καὶ καθόλου προβιβάσαι τὴν τέχνην ἐπὶ τοσοῦτον, ὥς τε ἀρχηγὸν αὐτῆς καὶ κτίστην τιμᾶσθαι. i. e. *Ex Apolline et Coronide natus Aeſculapius, cum multa in arte medica ex Patris diſciplina cognouiſſet, Chirurgiam et medicamentorum confectiones adinuenit, itemque radicum uires perſcrutatus eſt; adeoque tandem in uniuerſum prouexit artem, ut pro conditore eius ac principe colatur.* Si Macrobium audiamus, forte ad eum, eiusque Patrem Apollinem, etiam σημειωτικὴ foret referenda. *Libro* enim *I Saturnal. c. XX: Aeſculapium,* inquit, *eundem eſſe atque Apollinem, non ſolum hinc probatur, quod ex illo natus creditur; ſed quod ei et ius diuinationis adiungitur: nam Apollodorus, in Libris, quibus titulus eſt* περὶ θεῶν, *ſcribit, quod Aeſculapius diuinationibus et auguriis praeſit. nec mirum: ſiquidem medicinae atque diuinationum conſociatae ſunt diſciplinae: nam medicus uel commoda, uel incommoda, in corpore futura praenoſcit; ſicut ait Hippocrates, oportere Medicum dicere de aegro:* τά τε παρεόντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. i. e. *Quae ſint, quae fuerint, quae mox uentura ſequentur: id quod congruis diuinationibus.* A Patre uero rationem oculorum curandorum edoctus, ab auctore Etymologici magni perhibetur *Aſclen quendam*, Epidauri Tyrannum, ὀφθαλμοῦντα ſanaſſe, et hinc nomen Ἀσκληπιοῦ accepiſſe. Sed et Hierocles, *ueterinariae medicinae ſcriptor*, in *Praef. p. 3*, tradit, Aeſculapio *equorum* ſimul ac hominum ſalutem curae eſſe. Ὁ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους ΣΩΤΗΡ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, ᾧ πάντως τοῦ καὶ ΙΠΠΩΝ μελεῖ i. e. *Humani generis ſeruator, Aeſculapius; cui omnino etiam* EQVI *curae ſunt.* Reineſius, in *Syntagm. Inſcript. p. 152*, tradit, eundem Deum commentitium habitum eſſe pro auctore ποιητικῆς, h. e. ut ille interpretatur, *Artis chemicae.* Sed id forte poſſit ad *Clinicen* referri. Hyginus enim *Fab. CCLXXIIII*, ipſam *Clinicem*, quae Galeno appellatur τελεία ἰατρικὴ καὶ τοῖς ἑαυτῆς μέρεσιν συμ-

πεπλη-

πεπληρωμένη, tribuit Aeſculapio. *Chiron Centaurus*, inquit, *Saturni filius*, (quo magiſtro uſus erat Aeſculapius) *artem medicinam chirurgicam ex herbis primus inſtituit. Apollo artem ocularium medicinam primus fecit. Tertio autem loco Aſclepius, Apollinis filius*, CLINICEN *reperit.* Hinc forte et Prudentius, in *Apotheoſi, u.* 273, Aeſculapium feſtiue uocauit *Deum clinicum.* Imo tantam uim Aeſculapio tribuerunt, ut ab eo mortuos excitatos, atque in uitam reuocatos eſſe tradiderint. Cuius rei infra quaedam exempla afferemus. Quae uero ipſe Diodorus Siculus, *Libr. IIII, p.* 189, eo interpretatur, ut *multos deſperate aegrotantes* ab Aeſculapio *παραδόξως*, et praeter opinionem hominum, ſanatos fuiſſe dicat.

XIII.

HYGEAM inter Aeſculapii liberos recenſet Scholiaſtes Ariſtophanis, ad *Plutum, u.* 639. Πολλοὶ δὲ παῖδες τῦ Ἀσκληπιῦ. Ποδαλείριος, Μαχάων, Ἰασὼ, Πανάκεια, Ὑγεία. i. e. *Aeſculapio multi fuere liberi: Podalirius, Machaon, Iaſo, Panacea, Hygea.* Plures enumerat Suida, ſub uoce Ἠπιόνη. Ἠπιόνη, inquit, γυνὴ Ἀσκληπιῦ, καὶ θυγάτηρ αὐτῆς Ὑγεία, Αἴγλη, Ἰασὼ, Ἀκεσὼ, Πανάκεια. Sicuti uero, docente Scholiaſte Ariſtophanis, l. c. ceteri liberi Aeſculapii; ita et *Hygea*, a Patris munere, ſua inuenerunt nomina: dicta enim eſt παρὰ τὸ ὑγείαν παρέχειν. Latinis audiit SALVS. Sic enim apud Gruterum, *p. LXVIII, n.* 1 *et* 2; et apud Reineſium, *p. CLII*, AESCVLAPIO adiungitur SALVS. A qua tamen SALVTIS PVBLICAE numen diſtinctum fuiſſe, recte oſtendunt, Cellarius, *Diſſert. de Antiquitatibus medicis, C. III, Sect. VIII*; et Struuius, in *Antiquit. Rom. Syntagm. p.* 130. At huic in eo adſtipulari non poſſumus, quod ad eandem *Hygeam* etiam nomen DEAE VALENTIAE, quod in antiquo lapide, apud Gruterum, *p. II, n.* 12, exhibetur, referendum cenſuit. VALENTIA enim potius uidetur eſſe nomen *συνώνυμον* ROMAE, quae et ipſa dicitur fuiſſe filia Aeſculapii; de qua Seruius, *De Hygea.*

 ad

ad *Virgil. Eclog. I, u.* 20: *Roma*, inquit, *ante Romulum fuit, et ab ea Romulus nomen acquiſiuit; ſed de flaua et candida* ROMA, AESCVLAPII FILIA, *nouum nomen Latio fecit; tantum conditricis nomine omnes Romani uocantur: Marinus, Lupercorum Poeta, dixit.* Quae uero ſigillatim medicinae experimenta uel fecerit, uel inuenerit, Hygea, ab antiquis traditum annotatumque hucusque non inuenimus, niſi quod ſupra iam innuimus, eam paſſim in ſocietatem elogiorum cultusque Parentis ueniſſe. Superſunt etiam duo ueteres hymni, Hygeae dicati; quorum alterius auctor fuit Ariphron Sicyonius, qui extat apud Athenaeum, *Deipnoſ. Libr. XV, p.*772; alter inter *hymnos*, ut dicuntur, *Orphicos*, *p.*165. *edit. Eſchenb.* legitur; cuius tantum partem hoc loco repetere liceat:

Ἱμερόεσσ', ἐρατή, πολυθάλμιε, παμβασίλεια,
Κλῦθι μάκαιρ' ΥΓΙΕΙΑ, φερόλβιε, μῆτερ ἁπάντων,
Ἐκ σέο γὰρ νοῦσοι μὲν ἀποφθινύθουσι βροτοῖσιν,
Πᾶς δὲ δόμος θάλλει, πολυγηθὴς εἵνεκα σεῖο,
Καὶ τέχναι βρίθουσι· ποθεῖ δέ σε κόσμος, ἄνασσα,
Μοῦνος δὲ στυγέει σ' ἀΐδης ψυχοφθόρος αἰεί.
Ἐυθαλὴς, εὐκταιοτάτη, θνητῶν ἀνάπαυμα.
Σοῦ γάρ ἄτερ πάντ' ἐστὶν ἀνωφελῆ ἀνθρώποισιν.

h. e. ex interpretatione Meibomii:

Suauis, amata, uirens laetum, ſuper omnia regnans,
Diua SALVS, *opibus pollens, audi, incluta Mater.*
Tu morbos miſeris prohibes mortalibus: omnes
Per te aedes florent, in te laetantur; amoenae
Per te artes augent. Te reginam expetit orbis.
Te uiolens odit Pluto, cui funera curae.
Exoptata, uigens, hominum praedulce leuamen.
Te ſine in humana prorſus nihil utile uita.

XIIII.

XIIII.

Quemadmodum uero iam ſupra non nulla recenſuimus elogia, quae *Aeſculapio* atque *Hygeae* tribui conſueuerunt; ita nunc illud adhuc ſigillatim expendemus, quo in noſtro monimento uocantur ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΙ, h. e. *Dii, qui homines amant.* Hanc laudem homines pagani iam olim paſſim ſuis adſcripſerunt Diis. Sic legimus apud Platonem, *Libr. IIII de Legibus*, *p.* 713: Ὁ Θεὸς φιλάνθρωπος ὢν, τὸ γένος ἄμεινον ἡμῶν ἐφίστη τὸ τῶν Δαιμόνων. h. e. *Deus, generis humani amans, Geniorum genus genere noſtro praeſtantius nobis praefecit.* Plutarchus etiam, *ad Principem indoctum*, *p.* 781, ita ſcribit: Ὁ Θεὸς τοὺς τὴν ἀρετὴν ζηλοῦντας αὐτοῦ, καὶ πρὸς τὸ καλὸν καὶ φιλάνθρωπον ἀφομοιοῦντας ἑαυτοὺς ἡδόμενος αὔξει, καὶ μεταδίδωσι τῆς περὶ αὐτὸν εὐνομίας καὶ δίκης καὶ ἀληθείας, καὶ πρᾳότητος. h. e. *Deus eos homines, qui uirtutem ipſius aemulantur; et bonitate atque amore erga homines ipſum referre conantur, ſtudio eorum delectatus auget, ſuaque eos aequitate, iuſtitia, ueritate, ac manſuetudine, impertit.* Sed et haec legimus apud eundem Plutarchum, in *uita Numae*, *p.* 62: Καὶ που λόγος ἔχει, τὸν θεὸν, οὐ φίλιππον, οὐδὲ φίλορνιν, ἀλλὰ ΦΗΙΛΑΝΘΡΩΠΟΝ ὄντα, τοῖς διαφερόντως ἀγαθοῖς ἐθέλειν συνεῖναι, καὶ μὴ δυσχεραίνειν, μηδὲ ἀτιμάζειν ἀνδρὸς θείου καὶ σώφρονος ὁμιλίαν. h. e. *Sane, rationi conueniens eſt, cum Deus non equorum, uel auium, ſed hominum, amore teneatur, eum cum iis, qui eximie boni ſunt, cupere una eſſe, neque dedignari hominis diuini & ſapientis familiaritatem.* Non ſecus et Lucianus Diis φιλανθρωπίαν adſcribit in *Bis accuſato*, *p.* 32: Πάντα ταῦτα ὑπὸ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΣ οἱ θεοὶ ποιοῦσι i. e. *Omnia haec, qui ipſorum erga homines amor eſt, operantur Dii.* Similiter Hierocles, in *Comment. ad aurea Carm. Pythag. p.* 70, de Deo loquens: τὸ τῆς ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΣ ἀγαθὸν κοινῷ τῷ γένει προτείνει. i. e. *Deus bonitatem ſui erga homines amoris in uniuerſum omnino genus extendit.*

De titulo φιλανθρωπίας.

In

In quam ſententiam etiam ſcribit Iulianus, *T. I Oper. p.* 289: καθάπερ οἱ τοῖς ἑαυτῶν δεσπόταις συνδιαθέμενοι, περί τε φιλίας, καὶ σπουδὰς, καὶ ἔρωτας, ἀγαπῶνται πλέον τῶν ὁμοδούλων. οὕτω νομιστέον φύσει ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΝ ὂν τὸ θεῖον, ἀγαπᾶν τοὺς φιλανθρώπους τῶν ἀνδρῶν. h. e. *Quemadmodum ii, qui iisdem, quibus heri ſui, rebus afficiuntur, uelut amicitiis, ſtudiis, et amoribus, plus conſeruis ceteris ab illis amantur; ſic diuinum numen, quod natura ſua generis humani amans eſt, eadem uirtute putandum eſt praeditos homines diligere.* Clemens Alexandrinus, in *Protrept. p.* 26 *et* 27, oſtendit, paganorum quosdam Deos et Genios habitos fuiſſe φιλανθρώπους, quosdam, ἀπανθρώπους καὶ μισανθρώπους. Sigillatim Iupiter etiam a Luciano, in *Prometheo, p.* 176, uocatur πάνυ φιλάνθρωπος. Itemque a Iuliano, apud Cyrillum, *Libr. VI, p.* 198, ὁ φιλάνθρωπος ἡμῶν δεσπότης καὶ πατὴρ Ζεύς. Sed et Minerua, apud Ariſtidem, *T. I, p.* 24. audit φιλανθρωποτάτη καὶ δυνατωτάτη. Nihil attinet, plura huius rei teſtimonia congerere. Quid ergo mirum, *Aeſculapium* etiam et *Hygeam*, propter tot ingentia, quae homines ſtolidi ipſis in acceptis referebant, beneficia, dictos eſſe ΘΕΟΥΣ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΥΣ; Et cur non medicinae Praeſidibus tribuiſſent humanitatem ac φιλανθρωπίαν, cum haec uirtus, iudice Scribonio Largo, in *Epiſtola ad C. Iulium Calliſtum*, nulli non Medico ſint commendanda. *Malum inuidentiae*, inquit, *cum omnibus animantibus inuiſum eſſe debet, tum praecipue Medicis, in quibus, niſi* PLENVS MISERICORDIAE *et* HVMANITATIS ANIMVS *eſt, ſecundum ipſius Profeſſionis uoluntatem, omnibus Diis et hominibus inuiſi eſſe debent.* Certe, ſi auctori *Etymologici magni* fides habenda, Aeſculapius olim proprio nomine ΗΠΙΟΣ, i. e. MITIS, appellatus eſt, ἢ ἀπὸ τῶν τρόπων, ἢ ἀπὸ τοῖς τέχνοις καὶ τοῖς τῶν χειρῶν ἠπιότητος. Secundum autem eundem Ἐτυμολόγον, ἐκ μεταλήψεως ΗΠΙΟΣ audit πρᾶος, καὶ ἠπιώτατος, ὁ ἐν λόγοις πραότατος

τατος καὶ ἥσυχος. Sic et in *Hymno Orphico* Aeſculapius dicitur ἠπιοδώτης, i. e. *dans mitia*, uel *mitigator*. Et Statio, *Libr. III Silu. IV*, *u.* 25, audit MITIS DEVS. Quin, apud Ariſtidem, in *Orat. de Puteo Aeſcul. T. I, p.* 442, diſertis uerbis uocatur ΘΕΟΣ ΚΑΙ ΘΕΩΝ ΠΡΑΟΤΑΤΟΣ ΤΕ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΤΑΤΟΣ, h. e. *Deus omnium Deorum mitiſſimus, et humani generis amantiſſimus*. Φιλάνθρωπος autem, in *Cyrilli Gloſſis*, Latine redditur: *humanus, clemens*; et φιλανθρωπία, *humanitas, clementia, indulgentia*. Gellius, *Libr. XIII Noct. Att. c. XVI*, ait, *humanitatem* id uulgo *eſſe, quod a Graecis* φιλανθρωπία *dicitur, et ſignificare dexteritatem quandam beneuolentiamque erga omnes homines promiſcuam*. Noſtra uernacula φιλάνθρωπον, ſi *etymon* ſpectes, ſatis apte reddit *Leutſelig*; φιλανθρωπίαν, *die Leutſeligkeit*. Thomas Magiſter, in Ἐκλογ. Ὀνοματ. Ἀττικ. ait: ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑ οὐ μόνον ἡ ἀπὸ τῶν ὑπερεχόντων εἰς τοὺς ἐλάττους εὐμένεια, ὡς ἡ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπία περὶ ἡμᾶς, καὶ τοῦ βασιλέως περὶ τοὺς ὑπηκόους, καὶ τῶν ἀρχόντων πρός τοὺς ὑπὸ χεῖρα, ἀλλὰ καὶ ἡ τινός ἁπλῶς πρὸς ὁντινοῦν φιλία καὶ διάθεσις ἀγαπητική. h. e. φιλανθρωπία *non ſolum eſt ſuperiorum erga inferiores beneuolentia, prout eſt amor DEI erga nos, et Regis erga ſubiectos, et imperantium, ſiue herorum erga ſeruos; ſed et eſt ſimpliciter cuiuslibet erga quemlibet amicitia et propenſa uoluntas*. Proprie uero Aelianus, *Libr. XIII, c.* 31, φιλάνθρωπον, *amicum et benignum erga homines* uocat. Ξενοκράτης τά τε ἄλλα ἦν φιλοικτίρμων, καὶ οὐ μόνον φιλάνθρωπος, ἀλλὰ καὶ πολλὰ τῶν ἀλόγων ζώων ἠλέει. i. e. *Xenocrates cum in ceteris miſericors erat, tum uero non ſolum amicus hominum, ſed complura etiam brutorum animantium miſericordia proſequebatur*. Quamuis uero ſic haec uox proprie et generatim notet *amorem erga homines*, ac tum de DEO, amante homines, tum de hominibus amantibus homines, dici ſoleat: ex frequentiori tamen uſu non uulgarem illum, ſed prorſus eximium et ſingularem, ſignificat amorem. Cuius

natu-

naturam quodammodo deſcribere uoluit Iulianus, in *Fragm. Orat. Opp. p.* 289. Ἡ Φιλανθρωπία, inquit, πολλὴ καὶ παντοία· καὶ τὸ πεφεισμένως κολάζειν τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τῷ βελτίονι τῶν κολαζομένων, ὥσπερ οἱ διδάσκαλοι τὰ παιδία· καὶ τὸ τὰς χρείας αὐτῶν ἐπανορθοῦν, ὥσπερ οἱ θεοὶ τὰς ἡμετέρας. —. Φαίην δ' ἂν εἰ καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ὅτι καὶ τοῖς πολεμίοις ἐσθῆτος καὶ τροφῆς ὅσιον ἂν εἴη μεταδιδόναι. κ. τ. λ. h. e. Φιλανθρωπία, *ſiue amor et benignitas erga homines, eſt multiplex et uaria: cuiusmodi eſt moderatum eſſe in poenis irrogandis, idque ad eorum, qui puniuntur, utilitatem referre, perinde ut praeceptores in pueros animaduertunt. Tum, eorum ſubleuare neceſſitates, uti noſtras Dii ſubleuant. —. Dicam amplius, etſi praeter communem opinionem id eſſe uideatur, etiam hoſtibus ipſis ueſtes et alimenta largiri, fas ſanctumque eſſe.* De DEI ueri φιλανθρωπίᾳ paſſim diſſerit Clemens Alexandrinus. Quae quamuis nullis unquam uerbis ſatis exprimi, nullaque cogitatione plene comprehendi, poſſit; nunc tamen addemus, quomodo ad locum *Epiſt. ad* TIT. *III, u.* 4, in *in Bibliis illuſtr. Cal.* deſcribatur a B. Hunnio, Theologo quondam uere pio, et humanitatis ſtudioſiſſimo. Φιλανθρωπίαν, inquit, *ut Latina lingua uoce una reddere non poteſt, ſic Emphaſin eius nulla uis humanae eloquentiae ualet aſſequi. Deſignat autem admirandum illum amorem, quo aeternus* DEVS *mortalem hominem, Creator egenam creaturam, ipſa Iuſtitia et Sanctitas peccatores miſeros, adeoque hoſtes et inimicos ſuos, coeleſti fauore ſuo dignatur, omnique memoria offenſarum penitus inducta, gratiam et ἀμνηστίαν ſancit cum perpetuo benefaciendi ſtudio coniunctam.*

XV.

De ἐπιφανείᾳ Aeſculapii.

Etſi uero non paucae adferri poſſunt rationes, ob quas Pagani *Aeſculapium* ſuum atque *Hygeam* θεοὺς φιλανθρώπους appellandos putarint; prae ceteris tamen illuſtre φιλανθρωπίας ipſorum teſtimonium habebant, cum crederent, hos etiam

Deos uariis modis hominibus ſe *manifeſtaſſe*, et, quod Plutarchus in *uita Numae, p.* 62, ait, hominum excellenti uirtute praeditorum familiaritate delectatos eſſe. Cuiusmodi φιλανθρωπίας exemplum diſſerte ipſum etiam Aeſculapium l. c. nominat Plutarchus. Σοφοκλεῖ δὲ καὶ ζῶντι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπιξενωθῆναι λόγος ἐστὶ, πολλὰ μέχρι δεῦρο διασώζων τεκμήρια. καὶ τελευτήσαντι τυχεῖν ταφῆς ἄλλος θεὸς (ὡς λέγεται) παρέχει. i. e. *Sophoclis etiam uiui Aeſculapium hoſpitio uſum fama eſt, quae multa ad hanc usque memoriam ueſtigia retinet; et defuncto alium Deum perhibent ſepulturam curaſſe.* Multorum autem ſcriptorum ueterum auctoritate conſtat, miſeris iſtis hominibus perſuaſum fuiſſe, Aeſculapium iis cumprimis, quos amore et beneficio ſuo dignos cenſuerit, tum ſomniantibus, tum etiam aliquando uigilantibus, APPARERE, et praeſentiae ſuae ac beneuolentiae ſignum dare, ut ſalubria illis remedia atque conſilia ſuggereret. Huiusmodi θεοφάνειαν, ἐπιφάνειαν, ἐπιφοίτησιν, παρουσίαν, κατάβασιν, uti loquuntur, de multis Diis perhibebant excoecati illi homines. De qua re non pauca notauit Spanhemius, *de uſu et praeſt. numiſm. T. I, p.* 424., *et ſeqq.* Itemque ex inſtituto ſolerterque id argumentum tractauit Io. Gottlob. Nimptſchius, in *Diſſert. de* ΕΠΙΦΑΝΕΙΑΙΣ ΘΕΩΝ, Lipſiae A. 1720. habita. Vix autem alicui DEO frequentius tribuerunt SALVTAREM APPARITIONEM, quam AESCVLAPIO. Vnde et in eius fanis cubabant aegroti, ut per ſomnium de remedio monerentur. Inſigne apparentis Aeſculapii exemplum habet Ariſtophanes, in *Pluto.* Quot uero non apparitiones Aeſculapii, quot non ſomnia, quot non pharmaca et conſilia ab eodem ſibi ſuppeditata, in *ſacris ſermonibus ſuis* commemorat, uel iactat potius, fingitque, Ariſtides, Adrianenſis, Orator ille et Aeſculapii ſacerdos! Sic enim, inter alia, in *ſermone ſacro I, Tom. I, p* 480, ubi eiusdem Aeſculapii multa in ſe beneficia commemorat: κἄγω, inquit, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι τὰ τοῦ σωτῆρος ἀγωνίσματα,

νίσματα, ὅσων ἀπέλαυσα εἰς τήνδε τὴν ἡμέραν. — — Ἑκάστη γὰρ τῶν ἡμετέρων ἡμερῶν, ὡσαύτως δὲ καὶ νυκτῶν, ἔχει συγγραφὴν, εἴτις παρὼν, ἢ τὰ συμπίπτοντα ἀπογράφειν ἐβούλετο, ἢ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν διηγεῖσθαι. ὧν τὰ μὲν ἐκ τοῦ φανεροῦ παρὼν, τὰ δὲ τῇ πομπῇ τῶν ἐνυπνίων ἐνεδείκνυτο, ὅσα γε δὴ καὶ ὕπνου λαχεῖν ἐξῆν. i. e. *Nec ego poſſim Seruatoris* [Aeſculapii, de quo loquitur,] *explicare operam, quam ad hunc usque diem nobis praeſtitit.* — —. *Nam ſingulae dies noſtrae ſimiliter et noctes, hiſtoriam continent, ſi quis uel euentus rerum uellet, uel* DEI *prouidentiam, explicare; qua partim* PRAESENS APERTE, *partim* SOMNIIS MISSIS, *cum quidem res in ſomnia cadere poterat, erga nos uſus eſt.* Sic et Aegis, in Cilicia, ſi quidem fides haberi poteſt Philoſtrato, Aeſculapius adhuc Apollonii tempore hominibus palam aparuit. Ait enim ille, in *Vita Apollonii, L. I, c. V*: Ἐν Αἰγαῖς ἦν καὶ ἱερὸν Ἀσκληπιοῦ, καὶ ὁ Ἀσκληπιὸς αὐτὸς ἐπίδηλος τοῖς ἀνθρώποις. h. e. *Erat etiam Aegis templum Aeſculapii, et* IPSE AESCVLAPIVS *quandoque ſe hominibus* MANIFESTABAT. Idem et in *Vitis Sophiſtarum, Libr. II. c. IIII*, de Antiocho, Sophiſta, haec commemorat: Τὰς δὲ πλείους τῶν νυκτῶν ἐς τὸ τοῦ Ἀσκληπιοῦ ἱερὸν ὑπεκάθευδεν, ὑπέρ τε ὀνειράτων, ὑπέρ τε ξυνουσίας, ὁπόση ἐγρηγορότων τε καὶ διαλεγομένων ἀλλήλοις. διελέγετο γὰρ αὐτῷ καὶ ἐγρηγορότι ὁ Θεὸς, καλόν ἀγώνισμα ποιούμενος τῆς ἑαυτοῦ τεχνῆς, τὸ τὰς νόσους τοῦ Ἀντιόχου ἐρύκειν. i. e. *Pleraſque noctes in Aeſculapii fano dormiens tranſigebat, tum inſomniorum, tum conuerſationis cauſſa; qualis ibi uiget uigilantes inter atque inuicem diſſerentes. Etenim cum ipſo etiam uigilante Deus diſſertabat, praeclarum artis ſuae experimentum edens, quod Antiochi morbos arceret.* Ceterum modo *ſerpentis*, modo *hominis*, forma indutus credebatur *apparere* Aeſculapius. Sic, ubi Liuius *Libr. XI*, 13, narrat, quemadmodum *Aeſculapius* delatus ſit Romam, refert, *anguem* ex templi Epidauriorum adytis prolapſum, tandem Romanorum nauem adſcendiſſe,

diſſe, Sacerdotesque clamitaſſe, *Numen eſſe, et ſalutari ſemper oſtento, non nunquam hac* ANGVIS *forma conſpici.* Conf. Ouidii *Metamorph. Libr. XV, Fab. L.* Hinc et circa baculum Aeſculapii *ſerpens* uolutus fingebatur, et ſemper fere eum Deum comitari perhibebatur. Vnde et Aeſculapium cognomen Συργάστρου et Ὀφιούχου, i. e. *ſerpentarii*, retuliſſe, conſtat. At, in Comoedia Ariſtophanis, quae *Plutus* inſcribitur, *u.* 709, Aeſculapius fingitur etiam humana forma indutus apparuiſſe, et compoſito magnificoque gradu circuiſſe aegros. Et Iulianus, apud *Cyrillum, Libr. VI, p.* 200, ait: Ὁ Ἀσκληπιὸς ἐπὶ γῆς ἐξ οὐρανοῦ ποιησάμενος πρόοδον, ἑνοειδῶς μὲν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ, περὶ τὴν Ἐπίδαυρον ἐφάνη. i. e. *Aeſculapius e coelo in terram progreſſus hominis forma unice quidem circa Epidaurum apparuit.* Qui licet in numis, marmoribus, auctoribus Graecis et Latinis, plerumque *ſenex* ac *barbatus* delineetur; interdum tamen etiam tanquam *puer* et *iuuenis* occurrit, uti e. g. Pauſanias, *Libr. VIII*, memorat Ἀσκληπιοῦ παιδὸς ἱερὸν, i. e. *Aeſculapii Pueri fanum.* Id quod pluribus teſtimoniis comprobat Cuperus, in *Harpocrate, p.* 78.

XVI.

Quibus rebus ex *mythologia* ueterum repetitis, cum animaduerteremus, Aeſculapium paſſim, DEVM, et ΣΩΤΗΡΑ, ſiue SERVATOREM, uocari, eiusdemque praedicari ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΝ, et SALVTAREM APPARITIONEM, atque alia in homines beneficia: e diuinis literis nobis in mentem uenit locus illuſtris, quo de uero et unico generis humani SALVATORE, ſimilia, ſed ueriſſima ſanctiſſimaque ratione praedicantur. Ita enim Diuus Apoſtolus, ad *Titum Cap. III, u.* 4 *et* 5, ſcribit: Ἡ χρηστότης καὶ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑ ΕΠΕΦΑΝΗ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΗΜΩΝ, ΘΕΟΥ. — — κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ΕΣΩΣΕΝ ἡμᾶς, διὰ ΛΟΥΤΡΟΥ ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΣ, ΚΑΙ ΑΝΑΚΑΙΝΩ-

Locus ex Epiſt. ad Titum III, u. 4, *proponitur.*

ΣΕΩΣ Πνεύματος ἁγίȣ. h. e. *Benignitas et humanitas apparuit Saluatoris noſtri* DEI. — —. *Secundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis et renouationis Spiritus Sancti.* Sunt, qui exiſtiment, haec uerba ad CHRISTVM, Seruatorem noſtrum, ἀμέσως referri: quia in *Nouo Foedere* Filius Dei κατ' ἐξοχὴν ὁ Σωτὴρ nominari ſolet; eidemque χρηστότης, et φιλανθρωπία, itemque ἐπιφάνεια, eximie conuenit. Atque in hanc ſententiam, quod iam B. Calouius, in *Bibliis illuſtratis*, obſeruauit, quondam Bernhardus, *Serm. 1 de Natali Domini*, ſcripſit: *Apparuerat antea potentia in rerum creatione; apparebat ſapientia in earum gubernatione; ſed benignitas miſericordiae nunc maxime apparuit in humanitate.* Quo facit etiam e Graecis Theophylacti περίφρασις, ſic Latine reddita: *Cum benignitas et humanitas apparuit Saluatoris, Dei noſtri; id eſt, cum incarnatus eſt Vnigenitus, et ſimilis nobis effectus.* Cum uero, in ſequentibus uerbis, *Spiritus Sanctus effuſus dicatur per Ieſum Chriſtum, Saluatorem noſtrum;* id, docente B. Calouio, notatur, MERITO CHRISTI hanc effuſionem nobis eſſe acquiſitam; quia CHRISTVS et *cauſſa efficiens prima* cum PATRE huius effuſionis ratione θεολογίας, quatenus idem cum Patre eſt DEVS; et *cauſſa meritoria*, ratione τῆς οἰκονομίας, quatenus *Mediator* noſter eſt Θεάνθρωπος. Quae interpretatio utique pia eſt, neque quicquam ab ἀναλογίᾳ ſanctae Fidei habet alienum. Interim naturali uerborum ſtructurae conuenientior uidetur altera interpretatio, ſecundum quam plurimi Theologi noſtri, teſte eodem Calouio, per *Seruatorem noſtrum* DEVM, hoc loco ἀμέσως intelligunt DEVM PATREM; qui et ipſe in uniuerſum nos ſeruat omnes, ut Creator, et qui inprimis in CHRISTO inſtaurat ſalutem noſtram; quique *illuſcere nobis facit* benignitatem et φιλανθρωπίαν ſuam in negotio ſalutis noſtrae, et inprimis in ἐπιφανείᾳ *Orientis ex alto, erga eos, qui in tenebris*

bris ſedebant. *Ioh. III,* 16. *Luc. I,* 78. *etc.* Vtram uero interpretationem amplecti aliis uiſum fuerit; ii in impiorum Paganorum *mythologia* de APOLLINE, eiusque filio, AESCVLAPIO, deprehendent quasdam loquendi formulas iſtis quodammodo ſimiles. Sicut enim *Aeſculapius,* ita eius Pater, APOLLO, paſſim celebratur tanquam Θεὸς Σωτὴρ, et utriusque benignitas et amor erga homines, atque *ſalutaris apparitio,* iactabatur. Id quod pluribus oſtendit Spanhemius, de *uſu et praeſtant. Numiſm. T. I, p.* 416. *et* 417. Quo et ea pertinent, quae hac de re Iulianus, *impius Apoſtata, Orat. IIII, p.* 153. *Opp.* uelut in compendio tradit: Ἔτι σοι λέγω, πῶς τῆς ὑγιείας καὶ σωτηρίας πάντων προὐνόησε, τὸν Σωτῆρα τῶν ὅλων ἀπογεννήσας Ἀσκληπιόν. i. e. *Quid illud praeterea tibi de* SOLE, i. e. APOLLINE, *commemorem; quemadmodum ſanitati ac ſaluti omnium conſuluerit,* SERVATOREM OMNIVM GIGNENS AESCVLAPIVM?

XVII.

Quae cum ita ſint, ſuſpenſas fere ambiguasque rationes habemus, utrum dicamus, diuum Paullum uoces ex ipſa *mataeologia* Paganorum depromtas ad ſanctiſſimae religionis Chriſtianae myſteria exprimenda accommodaſſe; an potius exiſtimemus, Paganos Chriſtianae religioni ſurripuiſſe uocabula diuiniora, eademque ad ſuperſtitionis ſuae atque *idololatriae* profanitatem detorſiſſe? Vtrumque alias certo modo fieri potuiſſe credimus. Quod ſi enim conſideremus, expendamusque ſingularem iſtam ſtili diuinioris συγκατάβασιν, qua e. g. uocabula rei *agoniſticae* et militaris ad ſacros uſus tranſtulit; mirum non eſt, Spiritum diuinum in proponendis myſteriis aliquando etiam κατ' ἄνθρωπον locutum, Paganorum ſermonem ab omni impietate purgatum, ac quaſi ciuitate chriſtiana donatum, ſanctiorum rerum uſui conſecraſſe. Qua de re legere licet B. Gottfridum Olearium (cuius eximia meri-

An et quomodo Chriſtiani Aeſculapio opposuerint CHRISTVM?

merita etiam poſt cineres ſuſpicimus) in *Diſſert. de* κοινωνία *cum* CHRISTO *et Daemoniis.* Iſta autem ratione fieri potuit, ut Diuus Paullus, cum ad Titum, Epiſcopum Cretenſium, ſcriberet, Cretenſesque ſimul ueritate coeleſti imbuendos oſtenderet, in loco propoſito CHRISTVM; uerum generis humani Seruatorem, oppoſuerit Aeſculapio, quem Cretenſes tanquam *Deum* et *Seruatorem* coluerint, cuius χρηστότητα et φιλανθρωπίαν celebrarint, cuiusque iactarint ἐπιφάνειαν σωτήριον, ſiue *apparitionem ſalutarem.* Quemadmodum autem Cretenſes, teſte Diodoro Siculo, *Libr. V*, *p.* 237, gloriabantur, honores Deorum, et ſacrificia, ritusque myſteriorum, ex Creta potiſſimum ad ceteros perueniſſe mortales; ita conſtat, eos ſigillatim etiam cultui Apollinis et Aeſculapii deditos fuiſſe. Inter celebres Inſulae Cretenſis urbes fuit Gortyna; ibi, praeter alios Deos, ſingulari cultu adorati ſunt *Apollo*, et *Aeſculapius;* unde et uterque cognomen *Gortynii* retuliſſe uidetur. *Apollinis Gortynii* meminit Antonius Liberalis, *Metamorph. XXV.* Item Stephanus Byzantinus, *de Vrbibus*: ΠΥΘΙΟΝ, inquit, τὸ πάλαι μεσαίτατον τῆς ἐν Κρήτῃ Γορτύνης· ἐν ᾧ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΙΕΡΟΝ ἐστί. i. e. PYTHIVM, *maxime medius olim Gortynae in Creta locus*, *in quo* APOLLINIS TEMPLVM *eſt*. At *Aeſculapium Gortynium* commemorat Pauſanias, in *Corinth. p.* 137, Atque hic ipſe fortaſſe Aeſculapius fuit, qui non ſolum Cretenſium, ſed et Afrorum, frequenti confluxu coli conſueuit in fano Lebenaeo, quod erat *Lebenae.* Lebene autem, ſita ad mare Libycum, fuit Gortyniorum nauale et *emporium;* id quod Meurſius, de *Creta*, *cap. X*, comprobat auctoritate Strabonis. De ipſius autem Aeſculapii cultu haec tradit Philoſtratus, in *Vita Apollonii*, *Libr. IIII*, *cap. XI*: Προήει ἐπὶ Γόρτυναν, πόθῳ τῆς Ἴδης, ἀνελθὼν οὖν, καὶ τοῖς θεολογουμένοις ἐντυχὼν, ἐπορεύθη ἐς τὸ ἱερὸν τὸ Λεβηναῖον· ἔστι δὲ Ἀσκληπιοῦ· καὶ ὥσπερ ἡ Ἀσία ἐς τὸ Πέργαμον, οὕτως ἐς τὸ ἱερὸν τοῦτο ξυνεφοίτα ἡ Κρήτη· Πολλοὶ δὲ καὶ Λιβύων ἐς αὐτὸ περαιοῦνται, καὶ γὰρ τέτραπται πρὸς τὸ

Λυβικὸν

Λυβικὸν πέλαγος. h. e. *Progreſſus uero eſt Apollonius Gortynam, Idae ſtudio; quem cum adſcendiſſet, et de Diis, quae feruntur, exploraſſet, ad Fanum Lebenaeum abiit, quod eſt* AESCVLAPII: *utque Pergamum Aſia, ita* TEMPLVM HOC TOTA CRETA *accedebat; quin ex Lybicis etiam multi ad hoc ipſum traiiciebant, quippe ad mare Libycum ſitum.* Huius ipſius templi Aeſculapii meminit etiam Pauſanias, in *Corinth. cap. XXVI, p.* 172: Τὸ δ' ἐν Βαλανάγραις ταῖς Κυρηναίων, ἐστὶν Ἀσκληπιὸς καλούμενος ἰατρὸς, ἐξ Ἐπιδαύρου καὶ οὗτος· ἐκ δὲ τοῦ παρὰ Κυρηναίοις, τὸ ἐν Λεβήνῃ, τῇ Κρητῶν ἐστιν Ἀσκληπιεῖον. h. e. *Sed et qui Balanagris colitur apud Cyrenaeos* AESCVLAPIVS, *cui cognomen eſt* MEDICO, *ex Epidauro ſumtus eſt. Ad Cyrenaici quidem ſimilitudinem factum eſt id* AESCVLAPII TEMPLVM, *quod extat* LIBENAE, VRBE CRETENSIVM. Vt uero eo luculentiori teſtimonio pateat, quemadmodum cultus *Aeſculapii* et *Hygiae* inter Cretenſes uiguerit, et ad poſteriora etiam tempora propagatus fuerit; exhibemus in fronte huius exercitationis ἔκτυπον numi, Traiani aetate cuſi, qui imagines *Aeſculapii* et *Hygiae* coniunctas, easque ſolito ornatu effictas, refert, additis uerbis: ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ i. e. *commune Sacrum, uel Templum, Cretenſium*; quem numum Io. Vaillantius, inter *Numiſmata Imperatorum Graece loquentia, pag.* 28, et in *Appendice Iconum*, exhibet. Non uacat nobis nunc alios huius generis numos, eosque antiquiores, quaerere: minus tamen ambigimus, quin cultus Aeſculapii inter Cretenſes multo fuerit uetuſtior; cum fabulae tradant, eum multis ſaeculis ante C. N. inſigni miraculo in Creta inclaruiſſe, poſtquam Androgeona, filium Minois, Regis Cretenſium, ex morte reſuſcitaſſe uitaeque reſtituiſſe perhibeatur; de quo Propertius, *Libr. II, Eleg. I*, ita cecinit:

Et DEVS *extinctum Creſſis* EPIDAVRIVS *herbis*
Reſtituit patriis Androgeona ſuis.

Ad quem locum Paſſeratii *Praelectiones* conſulere licet; qui ibidem annotauit, etiam *Glaucum*, alterum Minois filium, opera Aeſculapii ad uitam reuocatum dici in Hygini *Fab. XXXXVIIII*; niſi frater pro fratre, uel idem Androgeon, qui et Glaucus, dicatur. Tantam ergo tamque execrandam Cretenſium ſuperſtitionem in colendo Apolline et Aeſculapio cum non ignorarit diuus Paullus; quid mirum, ſi et in iſtis uerbis citatis ad eandem quodammodo reſpexerit, et commentitiis illis Seruatoribus uerum oppoſuerit generis humani Seruatorem, CHRISTVM, atque uoluerit, ut hunc potius intuerentur, ueraque fide amplecterentur, qui omnino uerus certusque omnium hominum ſit Seruator, et cuius χρηστότης, ſiue benignitas, in infinitum ſit maior, cuius φιλανθρωπία ineffabili ratione ſit ſanctior, et cuius ἐπιφάνεια, ſiue *apparitio*, longe ſit mirabilior, atque uniuerſo generi humano ſalutarior? Cuiusmodi loquendi argumentandique ratio certe in ſcriptis ſanctorum Eccleſiae Patrum non raro occurrit; ac nominatim Iuſtinus Martyr aliquoties CHRISTVM et *Aeſculapium* inter ſe expreſſe confert; ubi quidem κατ' ἄνθρωπον aduerſus paganos diſputat. Sic loquitur in *Apologia II pro Chriſtianis*, *p.* 66; cuius uerba, ut chartae parcamus, nunc duntaxat Latine facta afferemus. *Verbum*, inquit, *quod generatum eſt a Deo, absque commiſtione generatum eſſe dicimus, Ieſum uidelicet Chriſtum; magiſtrum noſtrum, atque hunc cruci affixum, et reſuſcitatum adſcendiſſe in coelum; nihil noui ab eis, qui apud uos dicuntur eſſe Iouis filii, afferimus. Scitis enim, quot Iouis liberos illi, qui in praetio apud uos ſunt, ſcriptores memorent: Mercurium quidem, Verbum, interpretem ac doctorem omnium;* AESCVLAPIVM *uero medicum, qui fulminatus adſcenderit in coelum.* et cetera. Et paullo poſt, p. 68: *Quod claudos*, inquit, *et paralyticos, et ab ipſa natiuitate debiles ac morboſos a* CHRISTO *ſanatos, ac mortuos reſuſcitatos, memoramus; conſentanea his dicere uidemur, quae ab*

AESCVLAPIO *dicta eſſe feruntur.* — —. *Neque nos propterea, quod eadem, quae illi, dicamus; ſed quod ueritatem ipſam profiteamur, ſuſcipi ac probari petimus.* — —. *Imo, priusquam* CHRISTVS *homo inter homines eſſet, non nulli per Poetas, inſtinctu, quos diximus, malorum geniorum, iſta perinde, atque iam facta eſſent, fabulis compoſitis incluſa referre occuparunt.* Similiter Theophilus *ad Autolycum, Libr. I, p.* 77: *Si credis,* inquit, *Herculem, quem flamma abſumpſit, uiuere; Aeſculapium fulmine tactum uitae reſtitutum; quae dementia eſt, nolle dare fidem illis, quae Deus loquitur?* Superſedemus, plura eius generis loca nunc excitare.

XVIII.

Verum enimuero ſunt, qui exiſtiment, homines paganos potius Chriſtianorum ſacra, et diuinas myſteriorum uoces, impia quadam κακοζηλίᾳ ad ſuas ſuperſtitiones fabulasque transtuliſſe. Id adeo maxime egit Antonius van Dale, in *Diſſert. de origine ac ritibus ſacri Taurobolii*, quae prima eſt, inter *Diſſertationes VIIII, Antiquitatibus inſeruientes*, ut oſtenderet, *Ethnicos* multa a Chriſtianis fuiſſe mutuatos, eiusque rei inſigne exemplum eſſe Sacrum Taurobolium, ſeu *Regenerationem myſticam per Baptiſmum Sanguinis.* De *Aeſculapio* idem fere ſentiunt uiri eruditiſſimi, Michael Roſſallus, et Theodorus Haſſaeus; quorum ille edidit Diſſertationem de *Regno Pergameno*, Groningae habitam; cuius argumentum, quod ad Aeſculapii cultum pertinet, excerptum affertur, in *Faſcic. I Claſſ. III. Bibliothecae Bremenſis.* Sic uero, *Sect.* 3: *Olim*, inquit, *gentilis impietas Apollonium Tyaneum Sanctiſſimi Saluatoris miraculis opponebat: Quid, ſi dicamus, Graecos Aſiaticos* SALVATORI *generis humani, eiusque miraculis, ſuum* AESCVLAPIVM, *optimum Deorum, ut putabant, et maxime beneficum, oppoſuiſſe?* Atque paullo poſt, *Sect.* 4, idem: *Furto*, inquit, *duplici, ſuſpicioſi, et*

An et quomodo pagani Aeſculapium oppoſuerint CHRISTO?

 male-

maledici, *et impii homines*, *et Chriſtianis* ERIPIEBANT, *quae eorum erant propria*, *et quae ueri* Σωτῆρος *erant uel uirtutes*, *uel miracula*, *illa omnia eius Satanae et aduerſario per Aſiam maximo*, *ſumma cum idololatria tribuebant.* Cui opinioni calculum ſuum addit CL. Haſſaeus, in *Diſſert. de Throno Satanae apud Pergamenos ad Apocal. II*, 13; quae in eodem *Faſciculo* continetur; item in *Analectis Biblicis*, quae in *Faſcic. VI Claſſ. II eiusdem Biblioth.* extant. Quae res, ut luculentius intelligatur, haud exiſtimandum eſt, Paganos demum poſt CHRISTVM natum peruerſa κακοζηλία Aeſculapium uenerari coepiſſe, et in illius ſacris ſacra Chriſtianorum foeda quadam imitatione expreſſiſſe. Multo antiquior eſt fabula Aeſculapii. Iam in comoedia *Ariſtophanis*, qui quadringentis circiter annis, ante natum CHRISTVM, uixerat, Aeſculapius Deus celebratur. In *Pluto* enim, *Act. III, Sc. I.* Chorus exclamat: Ἀναβοάσομαι τὸν εὔπαιδα, καὶ ΜΕΓΑ ΒΡΟΤΟΙCΙ ΦΑΝΟC, ΑCΚΛΗΠΙΟΝ. i. e. *Laudabo* (Deum iſtum) *filium boni Patris*, *inſigne iubar mortalibus*, *Aeſculapium.* Adhaec in eadem Comedia, quod ſupra oſtendimus, tanquam *Deus ſalutaris apparuiſſe* fingitur. Et ne plura circumſpiciamus teſtimonia, iam Hippocrates Aeſculapium cum Hygea inter Deos uerendos memorauit, per quos Medicos iurare uoluit. Clemens Alexandrinus, *Libr. I Strom. p.* 43, ex Apollodori *Chronicis* tradit, a regno Herculis, quod fuerat Argis, usque ad ipſius Herculis, et AESCVLAPII in Deos relationem, colligi annos triginta, adeoque ſeptingentos annos poſt Moſis tempora. Pauſanias uero in *Corinthiacis*, *Cap. XXVI, p.* 172, putat, ſed infirmo argumento nixus, Deum ſtatim ab initio habitum Aeſculapium, neque eius religionem ſolo temporis progreſſu et fama hominum profeciſſe. Quamuis adeo commentitia Aeſculapii diuinitas longe ante CHRISTVM humana carne indutum increbuiſſet; nihilominus tamen, cum Satanas, infenſiſſimus ille DEI humanique generis

generis hoſtis, perpetua *κακοζηλίᾳ*, honorem cultumque diuinum ſibi uindicare allaborarit; facile inducimur, ut credamus, illum etiam iam tempore *ueteris Teſtamenti*, in fingenda propagandaque Aeſculapii fabula, ſanctiſſima diuinorum Vatum uaticinia de MESSIA, humani generis SERVATORE in mundum uenturo, imitari, et, quantumuis confuſius adhuc obſcuriusque, exprimere uoluiſſe. Poſtquam autem hic, in *plenitudine temporis*, uti ſacrae literae loquuntur, inter homines APPARVERAT forma humana, et iam myſteria Chriſtianae religionis luculentius proponerentur, atque ineffabilia SERVATORIS beneficia illuſtrioribus documentis explicari intelligique coepiſſent; tunc idem Satanas per Paganorum turbam etiam illum Aeſculapii fabulam noua *κακοζηλίᾳ* latius extendere, et, quicquid fere elogiorum, quicquid miraculorum, CHRISTO SERVATORI tribuebatur, ad eundem Aeſculapium temere et impie accomodare auſus eſt, ita tamen, ut fabulae uanitas impietasque ex omnibus partibus ipſa ſeſe proderet. Id quod probe animaduerterunt, multisque locis oſtenderunt priſci Doctores Eccleſiae Chriſtianae. E quibus nunc iterum nominatim excito Clementem Alexandrinum, qui *Protrept. p.* 16., ita ſcribit: Τὸν γὰρ εὐεργετοῦντα μὴ συνιέντες θεὸν, ΑΝΕΠΛΑΣΑΝ τινὰς ΣΩΤΗΡΑΣ, Διοσκούρους, καὶ Ἡρακλέα ἀλεξίκακον, καὶ ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ ἰατρόν, i. e. *Nam cum Deum benignum non intelligerent;* EFFINXERVNT *quosdam* SERVATORES, *Caſtorem et Pollucem, et Herculem Aueruncatorem*, *et* AESCVLAPIVM *Medicum.* Cum adeo ſigillatim Iulianus, *Apoſtata*, cui myſteria chriſtianae religionis non fuerant incognita, iis ad incruſtandam Aeſculapii fabulam prae ceteris abuteretur; recte Cyrillus, Archiepiſcopus Alexandrinus, contra eum diſputauit, et *Libr. VIII, p.* 288, commonſtrauit, Ἰουλιανὸν ἀθυρυστομίας πεποιηκέναι πρόφασιν τὸ οὕτως ἐξαίρετον καὶ σεπτὸν ἀληθῶς μυστήριον, ὃ προείρηται μὲν διά τε τοῦ νόμου καὶ προφητῶν ἁγίων, ἤχθη γε μὴν εἰς

 πέρας

πέρας, ἐνανθρωπήσαντος τῦ μονογενῦς. i. e. *Iulianum petulantiae ſuae occaſionem ex illo tam eximio, tamque auguſto myſterio, cepiſſe, quod praedictum quidem eſt per legem et ſanctos Prophetas, ueruntamen ad exitum perductum, poſtquam homo factus eſt Vnigenitus.*

XVIIII.

Quaedam κακοζηλίας teſtimonia e fabula Aeſculapii afferuntur.

Vt uero iſtius modi *κακοζηλίας* ratio eo magis pateat; agedum, adhuc quaedam diuinae ueritatis teſtimonia de CHRISTO conferamus, cum illis elogiis, quae coeci Pagani ſuo tribuerunt *Aeſculapio*; quamquam fateamur, quaedam eius generis loca ſcriptorum ueterum iam a uiris Clariſſimis, Roſallo et Haſſaeo, praeoccupata fuiſſe. Quod ſi igitur duplex generatio et natiuitas CHRISTI in ſacris literis celebratur; altera aeterna, qua tanquam Filius DEI a Patre ante ſaecula genitus eſt: *Pſalm. II*, 7. *Act. XIII*, 33. altera temporaria, qua in tempore ex muliere natus eſt homo. *Baruch. III*, 38. *Poſthaec in terris uiſus eſt, et cum hominibus conuerſatus eſt. Conf. Gal. III*, 4. *Ebr. II*, 14. et *I ad Timoth. III*, 16: DEVS *manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in Spiritu, apparuit Angelis, praedicatus eſt Gentibus. etc.* Sic de duplici quadam *Aeſculapii* generatione etiam loqui uidetur Iulianus, *Orat. IIII*, *p.* 144: Ὁπόσας δὲ ἐν αὑτῷ περιέχων ὁ θεὸς ὅδε τὰς ἀρχὰς τῆ καλλίςης νοερᾶς συγκράσεως, Ἥλιος Ἀπόλλων ἐςὶ Μυσηγέτης· ἐπεὶ δὲ καὶ ὅλην ἡμῖν τὴν τῆς εὐταξίας ζωὴν συμπληροῖ, ΓΕΝΝΑ ΜΕΝ ΕΝ ΚΟΣΜΩ ΤΟΝ ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ. ΕΧΕΙ ΔΕ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙ ΠΡΟ ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ ΠΑΡ ΕΑΥΤΩ. i. e. *Quatenus Deus ille, Sol, omnes in ſe cauſſas praeſtantiſſimae intelligentium temperationis continet*, APOLLO *Muſagetes dicitur: pro eo uero, quod concinnum uitae ordinem complet*, AESCVLAPIVM GIGNIT IN MVNDO, QVEM ET ANTE MVNDVM PENES SE NIHILOMINVS HABVERAT. Et idem apud

apud Cyrillum, *Libr. VI, p.* 200, *et* 287: Ἔλαθέ με μικροῦ τὸ μέγιστον τῶν Ἡλίου καὶ Διὸς δώρων. — Ὁ γὰρ Ζεὺς, ἐν μὲν τοῖς νοητοῖς ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν. εἰς δὲ τὴν γῆν διὰ τῆς Ἡλίου γονίμου ζωῆς ἐξέφηνεν. οὗτος ἐπὶ γῆς ἐξ οὐρανοῦ ποιησάμενος πρόοδον, ἑνοειδῶς μὲν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ περὶ τὴν Ἐπίδαυρον ἐφάνη. πληθυνόμενος δὲ ἐντεῦθεν ταῖς προόδοις, ἐπὶ πᾶσαν ὤρεξε τὴν γῆν τὴν σωτήριον ἑυτοῦ δεξιάν· κ. τ. λ. i. e. *Pene me fugit Solis, (Apollinis) et Iouis donorum maximum.* —. IVPITER *enim inter ea, quae mente fiunt,* EX SE GENVIT AESCVLAPIVM; IN TERRAM *autem per foecundi* SOLIS *uitam* EDITVS EST. HIC E COELO IN TERRAM PROGRESSVS HOMINIS FORMA *unice quidem circa Epidaurum* APPARVIT. *Inde longius profectus* IN OMNEM TERRARVM ORBEM SALVTAREM DEXTRAM *extendit.* Porro, ſi IESVS CHRISTVS audit Μέγας Θεὸς, καὶ Σωτὴρ ἡμῶν, i. e. *Magnus Deus, et ſeruator noſter,* ad *Tit. II,* 13. *Hic erit* MAGNVS, *et filius Altiſſimi uocabitur, Luc. I,* 32. Item ὁ Κύριος Ἰησοῦς, *Dominus Ieſus, 1 Corinth. XI,* 23. μόνος δεσπότης καὶ κύριος, *Solus Dominator et Dominus noſter, Epiſt. Iudae, u.* 4. REX IVSTVS et SALVATOR, *Zach. IX,* 9. Si eſt SANCTVS, *Pſalm. IV,* 4. *Marc. I,* 24. Si POTENS, *Pſalm. XXIII,* 7. *Matth. XXVIII,* 18. Si eſt LVX, *Eſ. IX,* 2. *LXII,* 1. *Matth. IV,* 6. et STELLA, *Num. XXIIII,* 17: uidebis huius generis elogia etiam tribui *Aeſculapio.* Sic ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΘΕΩ ϹΩΤΗΡΙ, i. e. *Aeſculapio* DEO SERVATORI A. Minitius Natalius Conſul templum et aram dedicat, apud Gruterum, *p. LXIX,* 8. Et ne plura, quae ſupra iam excitauimus, teſtimonia nunc repetamus, Hierocli, ueterinariae medicinae ſcriptori, appellatur Ο ΤΟΥ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΓΕΝΟΥϹ ΣΩΤΗΡ Ἀσκληπιός, i. e. *Aeſculapius, generis humani Seruator.* In Epigrammate apud Gruterum, *p. LXVIII,* 6, dicitur: ΚΥΡΙΟϹ Ἀσκληπιὸς, *Dominus Aeſculapius.* In

Orphico

Orphico hymno audit Ἰητὴρ πάντων, δεσπότης παίαν; i. e. *Sanator omnium, Dominator Paean.* Sicuti autem Ariſtophani, in *Pluto*, *u.* 639, dicitur ΜΕΓΑ ΒΡΟΤΟΙΣΙ ΦΑΝΟΣ, i. e. *magnum lumen mortalibus*; et Homero, in *Hymno*: Χάρμα μέγ' ἀνθρώποισιν, i. e. *ingens gaudium et uoluptas mortalibus*: ita ab Ariſtide, in *Serm. ſacris*, paſſim quaſi κατ' ἐξοχὴν ΜΕΓΑΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ, i. e. *magnus Aeſculapius*, inclamatur. Secundum eundem enim, *Orat. in Aeſculap. p.* 67, Ἀσκληπιοῦ δυνάμεις μεγάλαι τε καὶ πολλαί· μᾶλλον δ' ἅπασαι, οὐχ ὅσον ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος χωρεῖ· οὗτος ἐσθ' ὁ τὸ πᾶν ἄγων, καὶ νέμων, ΣΩΤΗΡ ΤΩΝ ΟΛΩΝ, σώζων τά τε ὄντα ἀεὶ, καὶ τὰ γιγνόμενα. h. e. *Aeſculapii uires magnae ſunt et multae, aut potius omnes, nec quantas humana capit uita. Hic eſt, qui Vniuerſum gubernat et regit, omnium Seruator; qui, quaecunque ſunt, uel fiunt, conſeruat.* Sic et apud Ariſtophanem, in *Pluto u.* 748, ubi Aeſculapius uiſum reſtituerat Pluto, mulier quaedam exclamat: Ὅσην ἔχεις τὴν δύναμιν, ὦ ΑΝΑΞ ΔΕΣΠΟΤΑ! *O Rex et Domine, quantam habes potentiam!* Peculiari uero ratione accendi ſolebant faces in templo Aeſculapii, quibus ad ſe euntibus undique eius ope indigis praelucere dicebatur hic Deus. Vnde Ariſtides, in *Orat. de Concordia Vrbium*, *T. II*, *p.* 304, ait: Ἐνταῦθα δὴ φρυκτοὶ φίλοι ΠΑΣΙΝ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ αἴρονται ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΚΑΛΟΥΝΤΟΣ τε ὡς αὐτὸν, καὶ μάλα ἀληθινὸν φῶς ἀνίσχοντες. h. e. *Hic amicae faces omnibus hominibus a Deo praeferuntur, qui* EOS AD SE VOCAT, *ac prorſus uerum ſplendere facit* LVMEN. Vid. Spanhem. *Epiſt. III ad Morellium*, *p.* 236. Adhaec aliquot inſcriptiones ueteres AESCVLAPIO SANCTO dicatas legimus; u. g. apud Gruterum, *p. LXVIII*, 4. *p. LXX*, 4. Idem inter *ſidera* ſplendere creditus, atque *Ophiuchus* dictus eſt. Sic Eratoſthenes in *in Ophiucho* ſcripſit: Λέγεται Ἀσκληπιὸς, ὃν Ζεὺς χαριζόμενος Ἀπόλλωνι εἰς τὰ ἄστρα ἀνήγαγε. Atque ſi praedicatur SERVATORIS noſtri χρηστότης καὶ φιλανθρωπία,

τία, *ad Tit III*, *u.* 4; non minus et Aeſculapius iactabatur Θεὸς φιλανθρωπότατος, i. e. *Deus*, *humani generis amantiſſimus*; id quod iam ſupra, *p.* 30, commonſtrauimus; [ubi uelimus, ut in *uerſu* 31 legatur: ἀπὸ τῆς τεχνῆς καὶ τῆς κ. τ. λ.] Secundum enim Lucianum, in *Bis accuſato*, *p.* 212: Ὁ Ἀσκληπιὸς ἐπ' ἀλλοτρίῃσι συμφοραῖς ἰδίας καρποῦται λύπας. πάντα δὲ ταῦτα ὑπὸ φιλανθρωπίας ποιεῖ. i. e. *Aeſculapius alienis ex malis proprias ſibi contrahit moleſtias; omnia autem haec ex ſingulari erga homines amore facit.* Atque eo nomine Ariſtides etiam Aeſculapium, in *Oratione eius Numini dicta*, *p.* 71, allocutus eſt: Ἐμοὶ γὰρ, ὦ δέσποτα Ἀσκληπιὲ, πολλὰ καὶ παντοῖα παρὰ σοῦ καὶ τῆς σῆς ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΣ γεγένηται. i. e. *Ego quidem, o Domine Aeſculapi, multa ſum et uaria tui amoris expertus argumenta.* Quis uero neget, eidem etiam χρηστότητος laudem attributam fuiſſe, ſi quidem haec Iuliani uerba, apud Cyrillum, *Libr. VII*, *p.* 235, legerit: Τοῦ Ἀσκληπιοῦ πανταχοῦ γῆς ἐστὶ ΧΡΗΣΤΗΡΙΑ, ἃ δίδωσιν ἡμῖν ὁ Θεὸς μεταλαγχάνειν διηνεκῶς. i. e. *Aeſculapii ubique terrarum ſunt commoda, ſeu beneficia, quae nobis perpetuo fruenda largitur ille Deus.* Vbi φιλανθρωπία, ibi et χρηστότης. Hinc, uti hoc loco Diuus Paullus; ita et alibi, utramque coniunxerunt Plutarchus, in *Vita Ciceronis*; Herodianus, *Libr. V. Hiſtor.* et Dionyſius Halicarn. *Libr. IIII*; quae loca iam annotauit Io. Pricaeus, in *Comment. ad N. T. p.* 901. Simili modo Ariſtides, *Orat. in Aſclepiadas*, *p.* 83, in laudandis filiis Aeſculapii coniunxit ΠΡΑΟΤΗΤΑ καὶ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΝ. Verum et ipſa MIRACVLA affingebant Aeſculapio ſuo. CHRISTVS, Seruator noſter, reuera τὰ θαυμάσια ἐποίησε, i. e. *miracula edebat*, *Matth. XXI*, *u.* 15: de quo DEVS Pater apud *Eſaiam cap. XXXXII*, *u.* 6: *Ego Dominus dedi te in* LVCEM GENTIVM, *ut* APERIRES OCVLOS COECORVM, *et educeres de concluſione uinctum*, etc. Et *Eſ. Cap. XXXV*, *u.* 4 *et ſeqq.* DEVS *ipſe ueniet*, *et ſaluabit uos: tunc aperientur oculi coecorum*, *et aures ſurdorum pate-*

patebunt. — *Tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus; et aperta erit lingua mutorum.* Vnde re ipſa de ſe, ſuisque miraculis aſſeuerabat ſanctiſſimus SERVATOR: *Matth. XI, 1. Luc. VII, 18: Coeci uident; claudi ambulant; leproſi mundantur; ſurdi audiunt; mortui reſurgunt.* Idem praeterea, dum in humana apparuit carne, e maris periculo ſeruauit ſuos, utpote *cui uenti et mare obediunt: Matth. VIII, u. 26. et 27:* et mille alia patrauit miracula. Itaque non fere minora de ſuo quoque Aeſculapio affirmare auſi ſunt temerarii Pagani. Audiamus Ariſtidem eo nomine gloriantem, cuius uerba duntaxat Latine reddita ex *Orat. in Aeſculapium, T. I, p.* 68, nunc licebit afferamus. *Quidam,* inquit, *dicunt,* SE A MORTE RESVRREXISSE; *id quod uulgare eſt, et a* DEO *Aeſculapio dudum factitatum: nos autem non ſemel, ſed ſaepiſſime hoc beneficium conſecuti ſumus. Quibusdam etiam* VIVENDI TEMPVS PROROGAVIT; *inter quos et nos ſumus: id quod fatemur ueriſſime.* MEMBRA *quoque* CORPORIS *quaedam, cum uiri, tum mulieres, Dei huius prouidentia ſibi* ENATA *praedicant, prioribus perditis, et horum aliud alii recenſent, partim ore, partim in donariis.* — *Dolores praeterea et languores tam diuturnos, quam nocturnos, cum a multis, aut innumeris potius, abſtulerit, noſtras certe* IMMENSAS MISERIAS IPSE ET NOVIT OPTIME ET SEDAT. Etiam hominibus in mari periclitantibus ſalutarem apparuiſſe Aeſculapium, idem Orator, l. c. *p.* 70, tradidit. *Narrant etiam,* inquit, *hunc Deum ſibi, cum nauigantes in diſcrimine uerſarentur,* APPARVISSE, MANVMQVE PORREXISSE: *alii quoque praedicant, ſe res multas praeclare geſſiſſe, cum Dei huius monitis obtemperaſſent.* Atque idem, *Sermone ſacro II, p.* 517, ubi quoddam naufragii periculum memorat: *Tum nautae,* inquit, *ſudare ac tumultuari, uectoresque cuncti clamare: mihi uero hoc duntaxat ſuffecit dicere;* ὦ Ἀσκληπιέ! Neque uero ſolum corporis, ſed et ANI-

MAE

MAE SOSPITATOREM, omnisque felicitatis auctorem, colebant Aeſculapium. Vnde Ariſtides eidem omne felicitatis ſuae genus, omnes in ſtudiis et uirtute progreſſus, omnem, qua pollebat apud homines, gratiam, omnesque honores, paſſim retulit in acceptis. Et in *Orat. in Aeſculap. p.* 70, ait: *Alii praeterea uel patientiam ſuam narrant, quantaque et qualia hoc Deo iubente fortiter tulerint; uel malorum leuationem, quam ſunt ab eodem conſecuti: nos autem et multa uariis modis pertulimus, et uoluptatem ſaepe magnam ſenſimus, adeo, ut nusquam alibi, ſi inſtituatur comparatio, deliciae locum ſint habiturae.* Iulianus etiam, apud Cyrillum, *Libr. VII, p.* 235, prodit, ANIMAE SANATIONI Aeſculapium et Mercurium cum Apolline et Muſis praeeſſe. Atque ibidem, *Libr. VI, p.* 200, haec iactabundus ſcribit: Ἐιτα ΠΑΝΤΑΧΟΥ γῆς ἐςὶ καὶ θαλάσσης, ꙋ καθ᾽ ἕκαςον ἡμῶν ἐπιφοιτᾷ, καὶ ὅμως ΕΠΑΝΟΡΘΟΥΤΑΙ ΨΥΧΑΣ πλημμελῶς διακειμένας, καὶ τὰ σώματα ἀσθενῶς ἔχοντα. i. e. *Tandem Aeſculapius* VBIQVE *terrarum et maris eſt, nec ad nos ſingulos priuatim commeat, ſed ad omnes; et* ANIMOS *uitiis deditos* CORRIGIT, *ſiue ſanat, et corpora infirmitate laborantia.* Quid uero iactantius, quam Aeſculapii ope etiam MORTVOS RESVRREXISSE, quod iam ſupra innuimus? Alii alios commemorant, uel quod opinati ſunt, plures ab Aeſculapio uitae redditos fuiſſe; uel quod nomina diuerſa inter ſe confuderunt, uel potius quod euidentius falſae hiſtoriae prodidere documentum. Scholiaſtes Pindari, ad *Pyth. Od. III.* haec exempla refert: Λέγεται ὁ Ἀσκληπιὸς χρυσῷ δελεασθεὶς ἀναςῆναι Ἱππόλυτον τεθνηκότα. οἱ δὲ Τυνδαρέων. Ἕτεροι δὲ Καπανέα. οἱ δὲ Γλαῦκον. i. e. *Fertur Aeſculapius auro ineſcatus reſuſcitaſſe mortuum Hippolytum; alii dicunt, Tyndareon; alii, Capanea; alii Glaucum.* Plura adhuc exempla addit Scholiaſtes Euripidis, ad *Alceſt. u.* 1.; quo commemorante, Apollodorus, *Hippolytum;* Anceleſagoras, *Glaucum;* Panyaſis, *Tynda-*

Tyndareon; Orphici, *Hymenaeum*; Steſichorus, *Capanea* et *Lycurgum*; Pherecydes, *mortuos Delphis*; Phylarchus, *Phoeniſas*; Theleſargus, *Orionem*; tradiderunt beneficio Aeſculapii a morte et inferis reuocatos fuiſſe in uitam. Supra e teſtimonio Propertii praeterea nominauimus *Androgeona*, filium Minois, Regis Cretenſium; neque dubium eſt, quin ab aliis et alia narrentur exempla. Verum eo usque illa, de qua diximus, κακοζηλία progreſſa eſt, ut eius ueſtigia quaedam etiam in imitandis diuinorum *Sacramentorum* myſteriis deprehendi uideantur. Erat iam in *Vet. Teſt.* promiſſum uariisque modis praeſignificatum BAPTISMI *Sacramentum*: u. g. Eſ. XII, 13: *Haurietis aquas in gaudio de* FONTIBVS SALVATORIS. Zachar. XIII, 1: *In die illa erit fons patens Domui Dauid, et habitantibus Ieruſalem, in abluitionem peccatoris et menſtruatae.* Et *Cap. XIIII, u.* 8: *Et erit in die illa: exibunt aquae uiuae de Ieruſalem. etc.* Quod Sacramentum deinceps Seruator noſter ἔνσαρκος inſtituit *Matth. XXVIII*, 18, 19. Et hoc eſt illud LAVACRVM REGENERATIONIS et RENOVATIONIS *Spiritus Sancti*, *per quod* SERVATOR *noſter nos* SALVOS FECIT. *Epiſt. ad Titum III*, 5. Scimus praeterea, iam in *Veteri Teſtamento* inſtitutas fuiſſe *ſacras epulas diuini Paſchatos*, ut ſignificarent CHRISTI, Seruatoris noſtri, *Sacramentum coenae*, docente Paullo, 1 *Corinth. V*, 7. *Haec eſt menſa Domini*, et *calix Domini*, Τράπεζα καὶ ποτήριον Κυρίȣ, *Pſalm*, *XXII*, 5. 1. *Corinth. X*, 21. כוס - ישועות *poculum ſalutum*, ποτήριον σωτηρίȣ, *Pſalm. CXVI*, 13. Huiusmodi myſteriorum quandam ſimilitudinem etiam in Aeſculapii ſacris affectatam obſeruamus. Commemorat Pauſanias, in *Corinth. p.* 174, ΛΟΥΤΡΟΝ Ἀσκληπιȣ̃, i. e. *lauacrum Aeſculapii*, cuius aquae ſine dubio ſalutares habitae fuerunt. Erat et Pergami, in Templo medio Aeſculapii, FONS SACER, cuius diuinas ſcilicet uires peculiari oratione, *T. I, p.* 440, extulit Ariſtides. Ait uero ibi, aquam illius fontis e

ſalutari

ſalutari loco profluere, quippe quae a templo, et *Seruatoris Aeſculapii* pedibus dimanarit. Eundem fontem uocat διάκονον καὶ συνεργὸν τοῦ Φιλανθρωποτάτου τῶν θεῶν, ἑτοιμότατον πρὸς τὴν ὑπηρεσίαν, καὶ θρέμμα ἢ δῶρον Ἀσκληπιοῦ. i. e. *miniſtrum et quaſi cooperatorem, ſiue adiutorem* DEI *humaniſſimi, promtiſſimumque ſemper ad miniſterium, atque uelut alumnum donumue Aeſculapii*: idemque aſſeuerat, *nullam eſſe inter homines aquam, quae cum hac comparari poſſit; neque potum modo, ſed lauacrum etiam, eſſe iucundiſſimum et ſaluberrimum.* Quid uero? *Multi*, inquit, *cum ex hoc fonte lauaſſent*, VISVM RECVPERARVNT: *multi, ex aqua cum bibiſſent, pectoris* SANITATEM *receperunt. Multorum etiam* PEDES et MEMBRA *ſunt correcta. Quid? quod ex* MVTO LOQVENS *factus eſt. Nec deſunt, quibus, quod aquam duntaxat hauſerant, ſaluti fuit. Qui hanc guſtauerint, iis alia iam aqua quaeuis ſordet. Sola haec aqua tam* AEGROTIS, *quam* VALENTIBVS, *aeque iucundiſſima eſt et utiliſſima, inſtar* NECTARIS *diuina quadam miſtura temperati.* Neque Cretae defuiſſe eiusmodi fontes et lauacra ſalutaria, ex iis intelligere poſſumus, quae Meurſius, in peculiari *Comment.* de hac Inſula, *Cap. VI*, collegit. Verum, in templis Aeſculapii etiam ΤΡΑΠΕΖΑΝ ΙΕΡΑΝ καὶ ΚΡΑΤΗΡΑ, ἢ ΠΟΤΗΡΙΟΝ ΥΓΕΙΑΣ inuenire licuit; prout et alibi, a Virgilio, *Aen. 11, u.* 764, coniunguntur MENSAEQVE DEORVM CRATERESQVE *auro ſolidi.* Sic uero Ariſtophanes, in *Pluto u.* 678, inter ſacra Aeſculapii meminit τραπέζης ἱερᾶς, *menſae ſacrae.* Sic et de templo Aeſculapii, quod erat Syracuſis, ſcribit Athenaeus, *Libr. XV Deipnoſoph. p.* 693: Τῷ Ἀσκληπιῷ ἐν ταῖς Συρακούσαις ἀνακειμένης ΤΡΑΠΕΖΗΣ χρυσῆς, προπιὼν ὁ Σικελιώτης Διονύσιος αὐτῷ ἄκρατον ΑΓΑΘΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ, ἐκέλευσε βασταχθῆναι τὴν τράπεζαν. i. e. *Cum Syracuſis ante Aeſculapium eſſet aurea* MENSA *poſita,*

ſita, *merum* BONI DAEMONIS DEO PRAEBIBIT, *ac continuo menſam iuſſit auferri.* Quem κακοζηλίας ritum paullo clarius indicat ille Aeſculapii Sacerdos, quem hucusque ſaepius teſtem excitauimus, Ariſtides, *Serm. ſacro II, p. 523, T. I.* Ibi enim refert, ſe Aeſculapii iuſſu primum *Epibothria ſacra*, in foueis ad id factis, feciſſe. Haec putamus fuiſſe illa *Taurobolia*, et *Criobolia*, *ſacra*, in *ſpelaeis* et *antris* peragi ſolita, quae excogitarant impii pagani, imitaturi *expiationem per ſanguinem Saluatoris noſtri*, IESV CHRISTI. De quibus loquitur Iul. Firmicus Maternus, Libr. de *Errore profanarum religionum. Miſeri ſunt*, inquit, *qui* PROFVSIONE SACRILEGI SANGVINIS CRVENTANTVR. TAVRIBOLIVM *uel* CRIOBOLIVM *ſcelerata te ſanguinis labe perfundit. Lauentur itaque ſordes iſtae, quas colligis. Quaere fontes ingenuos, quaere puros liquores, ut illis te poſt multas maculas cum* SPIRITV SANCTO CHRISTI SANGVIS *incanditet.* Eadem ſacra deſcribit Prudentius, *hymno in Romanum Martyrem: Agnoſcis, inquit, illum, quem loquar, miſerrime Pagane, ueſtri ſanguinem ſacri bouis, cuius litata caede permadeſcitis? Summus Sacerdos nempe* SVB TERRAM SCROBE ACTA *in profundam conſecrandus mergitur.* etc. Haec erant illa ſacra, per quae IN AETERNVM SE RENASCI ſtolide opinabantur. Vnde, in quodam monimento, Sextilius Ageſilaus Aedeſius dicitur TAVROBOLIO CRIOBOLIOQVE IN AETERNVM RENATVS. Quam inſcriptionem affert Antonius uan Dale, qui de his ſacris, in Diſſertatione iam ſupra laudata, copioſius egit, ita tamen, ut locum Ariſtidis a nobis allatum non attigerit. Ariſtides autem l. c. ita pergit: Μετὰ δὲ ταῦτα ἐλθόντα εἰς ἱερὸν, θῦσαι Ἀσκληπιῷ τελεία, καὶ στῆσαι ΚΡΑΤΗΡΑΣ ΙΕΡΟΥΣ καὶ ΝΕΙΜΑΙ ΜΟΙΡΑΣ ΙΕΡΑΣ ΑΠΑΣΙ ΤΟΙΣ ΣΥΜΦΗΤΑΙΣ. i. e. *Deinde* [*diuinitus iuſſus ſum*,] *ut templum ingreſſus, perfectum ſacrificium*

Aeſcu-

Aeſculapio facerem, *poſitis* SACRIS CRATERIBVS, *et portiones ſacras inter conſortes omnes diſtribuerem.* Talia cum legeremus, commodum nobis in mentem reuocauimus, quae de eiusmodi κακοζηλίᾳ differit Tertullianus, *Libr. de Praeſcript. Haeret. Cap. XL. Diaboli*, inquit, *ſunt partes interuertendi ueritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum idolorum myſteriis aemulatur. Tingit et ipſe quosdam, utique credentes et fideles ſuos; expiationem delictorum de* LAVACRO *repromittit; et, ſi adhuc memini, Mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat et* PANIS OBLATIONEM, *et imaginem* RESVRRECTIONIS *induducit.* etc. Poſſemus adhuc plura eiuscemodi peruerſae et impiae imitationis indicia e ſacris Aeſculapii afferre, atque ſigillatim commemorare, quemadmodum Aeſculapius a Ioue irato, per fulmen ex *hac uita ſit ſublatus*, eiusque ob mortem Apollo *terris aliquandiu lucem eripuerit*; ipſe autem Aeſculapius inde in *coelum adſcenderit*, diuino honore ornatus; quem et Ariſtides in *coelo ſedentem* a ſe uiſum iactarit, ac quae ſunt alia eius generis argumenta: uerum definimus tandem, neque niſi unum adhuc, idque minus obſcurum κακοζηλίας documentum e fabulis Aeſculapii breuiter repetimus. Scilicet iam ſupra, *p.* 34, oſtendimus, Aeſculapium creditum eſſe, ſaepe SALVTARI OSTENTO ſub SERPENTIS forma APPARVISSE. Vnde eundem etiam in tot numis, aliisque monimentis uidemus geſtare BACVLVM SERPENTE INVOLVTVM. Quid? quod illuſtris Spanhemius, in *Epiſt. I ad Morellium*, *p.* 69, oſtendit, fuiſſe apud Coos in honorem Aeſculapii aniuerſarium ſacrum celebratum, quod diceretur ῥάβδου Ἀνάληψις, i. e. *baculi aſſumtio*, ſiue *elatio*; quo ſacro reſpexerint ad eiusdem DEI baculum, quem ut ſalutiferum et *angue* circumplicatum huic Σωτῆρι paſſim tribuunt antiqua monimenta. Quam ipſam rem cur non cum Spanhemio, aliisque, credamus dimanaſſe a *Serpente aeneo*, pro ſalutari

lutari contra mortiferos ſerpentes remedio, de quo *Num. XXI*, 8, 9, et τύπῳ SERVATORIS noſtri OPTIMI MAXIMI in ſtipitem Crucis exaltati, prout explicat Iohannes *Cap. III, u.* 14. Quantacunque autem fuit de Aeſculapio ſuo paganorum gloriatio; ipſi tamen non potuerunt non fabulae uanitatem uariis modis prodere, cum Pindarus et Diodorus Siculus, eundem *foede auaritiae* arguerint; Lucianus et alii, *fraudis* aliorumque uitiorum nomine accuſarint. O quanto certior, quantoque ſanctior ex omnibus partibus ſibi conſtat ueritas totius hiſtoriae CHRISTI, Seruatoris noſtri, in cuius uita ne hoſtes quidem, quod recte uituperarent, inueniebant. Ergo Origenes, ubi de Aeſculapio aliisque paganorum Diis locutus erat, bene haec ſubiicit, *Libr. III contra Celſum, p.* 123: Ἡμεῖς δὲ τὰ περὶ τȣ͂ ἡμετέρȣ Ἰησȣ͂ ἀπὸ τῶν προφητῶν δεικνύντες, καὶ μετὰ τȣ͂το παραβάλλομεν τὴν περὶ αὐτȣ͂ ἱςορίαν, ὅτι ȣ̓δεμία τȣ́τȣ φέρεται ἀκολασία. κ. τ. λ. i. e. *At nos* IESVM *noſtrum, iam approbatum Prophetarum oraculis, opponere iſtis poſſumus, etiam collatione hiſtoriarum, quod huius nullum feratur factum intemperans.* etc. Tam Sancto igitur, tum Benigno atque uere ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΩ SALVATORI noſtro pro coeleſtis ueritatis patefactione, et pro ſuis in nos beneficiis, immortales profitemur gratias. ΜΟΝΩ ΣΟΦΩ ΘΕΩ ΣΩΤΗΡΙ ΗΜΩΝ ΔΟΞΑ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΣΥΝΗ. ΚΡΑΤΟΣ ΚΑΙ ΕΞΟΥΣΙΑ. ΚΑΙ ΝΥΝ ΚΑΙ ΕΙΣ ΠΑΝΤΑΣ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ ΑΜΗΝ.

TE, BAIERE, decus ſtimulat doctrinaque PATRIS.
Perge: SALVTARIS TE manet ARTIS honor.

NOBIL. DN. RESPONDENTI
publicum induſtriae ſpecimen
gratulabatur

C. G. SCHVVARZIVS.